This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

fl. 1,60
0,50 lig.

ML j 9.1.30

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

FROM THE FUND GIVEN
IN MEMORY OF
GEORGE SILSBEE HALE
AND
ELLEN SEVER HALE

OTTO HARRASSOWITZ
BUCHHANDLUNG
LEIPZIG

IOANNIS ANDREAE

JALLOSICS

E SCHOLIS PIIS PROVINCIAE HUNGARIAE

ET ACADEMIAE TIBERINAE MEMBRI

POEMATUM

LIBRI SEX.

PRAEMISSO CARMINE

SOLLEMNITATI DEDICATIONIS

METROPOLITANAE BASILICAE

STRIGONIENSIS

DEVOTO

MDCCCLV.

PESTINI,

TYPIS JOSEPHI BEIMEL ET BASILII KOZMA.

1855.

MLj 9·1·30

HARVARD COLLEGE
SEP 6 1928
LIBRARY

W

Hale fund

EMINENTISSIMO

S. R. ECCLESIAE CARDINALI PRESBYTERO

CELSISSIMO PRINCIPI

DOMINO DOMINO

IOANNI BAPT. SCITOVSZKY

DE NAGY-KÉR-

METROPOLITANAE ECCLESIAE STRIGONIENSIS

ARCHIEPISCOPO S. SEDIS APOSTOL. LEGATO NATO

I. REGNI HUNGARIAE PRIMATI

SUMMO ET SECRETARIO CANCELLARIO

INSIGNIS ORDINIS S. STEPHANI REGIS APOSTOLICI PRAELATO

ET MAGNAE CRUCIS EQUITI

S. CAES. ET REG. APOSTOLICAE MAIESTATIS

ACTUALI INTIMO STATUS CONSILIARIO

GALERO CARDINALITIO IN TITULUM ECCL. SANCTAE CRUCIS IN IERUSALEM ROMAE CONDECORATO

ET SS. CONGREGATIONUM CONCILII INDICIS

SS. RITUUM ET INDULGENTIARUM ET RELIQUIARUM MEMBRO DESIGNATO

AA. LL. ET PHILOSOPHIAE NEC NON

SS. THEOLOGIAE DOCTORI.

QUI.
POST. AMPLISSIMA. ET. IMMORTALIA. VIRTUTUM.
ATQUE. MERITORUM. MONUMENTA.
QUIBUS.
GLORIAE. DEI. OPTIMI. MAXIMI.
COMMODO. ET. ORNAMENTO. PATRIAE.
SALUTI. AC. CERTAE HOMINUM. FELICITATI.
TOTO. PECTORE. CONSULTURUS.
AEDIBUS. SACRIS. A. FUNDAMENTO. ERIGENDIS.
CONSILIO. CURA. AERE.
POSITIS. IAM. FANIS. ET TEMPLIS. PERMULTIS.
PUBLICO. RELIGIONIS. USUI. ADORNANDIS.
ITINERE. LABORE. STUDIO.
VETUSTATE. CULTUS. ET. EXERCITIO. PIETATIS.
INCLYTIS. REGNI. MARIANI. LOCIS.
PRISTINAE. CELEBRITATI. ET. DEVOTIONI. REDDENDIS.
SOLLICITUDINE. CONATU. OPERE.
SIC. INTENDIT.
UT. SIMUL.

NON. MODO. SOLLEMNITATI. AMPLISSIMAE.
MAGNAM. HUNGARORUM. DOMINAM. MARIAM.
SINE. LABE. CONCEPTAM.
E. CATHEDRA. PETRI. ET. ORE. VICARII. CHRISTI.
PRONUNCIANTI. DECLARANTI. DEFINIENTI.
SUMMA. ANIMI. EXULTATIONE.
INTERFUERIT.
VERUM. ETIAM.
ARTICULI. HUIUS. DOGMATICE. AGNITI.
ANIMIS. FIDELIUM. IN PERPETUUM. INSCULPENDI.
ERGO.
DIEI. HUIC. FESTO. IN. AMBITU.
UNIVERSARUM. TOTIUS. REGNI. ECCLESIARUM.
SUMMO. QUO. PAR. ERAT. SPLENDORE.
AC. PIETATE. RECOLENDO.
EDITIS. SAPIENTIBUS. NON MINUS.
AC. SPIRITU. ET. ZELO. OPTIMI. PASTORIS.
PLENIS. ORDINIBUS.
CUMULATISSIME. PROVIDERIT.

ITA. DUM. DEO.
EIVSQUE. SACRIS. TOTUS. VIVIT. DEVOTUS.
NIHIL. EORUM. QUAE.
PATRIAE. ET. EIUSDEM. PATRI. IUSTA. SUNT.
INTERMITTIT.
ILLI. CONSPICUOS. IN. COELO. PATRONOS.
IMPETRATIS. ROMAE. SS. MARTYRUM. LIPSANIS.
PROCURANDO.
HUIC. PER. RELIGIOSAM. INSTITUTIONIS. PUBLICAE.
ADMINISTRATIONEM.
FIDELES. SUBDITOS. ADAUGENDO.
UTQUE.
TENORI. DOCTRINAE. DIVINAE. ET.
PRIMAEVIS. REGULIS.
VITAE. AC. DISCIPLINAE. SANCTIMONIA. AEQUETUR.
FAMILIAS. DEO. PER. VOTA. DICATAS.
MUNERE. VISITATORIS. APOSTOLICI. SUSCEPTO.
MIRA. ANIMI. MODERATIONE.
STUPENDA. INGENII. ALACRITATE.

ET. IUDICII. ACUMINE.
INEFFABILI. LABORUM.
AC. MOLESTIARUM. PATIENTIA.
SIC. PRISTINO. REDDIT. VIGORI.
UT. TEMPORUM. ET. ADIUNCTORUM. RATIONEM.
NUNQUAM. EX. OCULIS. DIMITTAT.
SIC.
OPTIMIS. MORUM. EXEMPLIS.
VELUT. VIRTUTIS. EXERCENDAE. SPECULIS.
PROSPICIENS.
AC. EIUSDEM. ETIAM.
INSERENDAE. FOVENDAE. AC. PROMOVENDAE.
PRAESIDIIS. FAVERE. SEDULO. ADLABORANS.
SOCIETATEM. A. D. STEPHANO. REGE. DICTAM.
PROTECTORIS. EIUSDEM. MUNERE. ET. HONORE.
AUCTUS.
FAVORE. GRATIA. OPERE. CONSILIO.
AMPLIFICAT.

* * *

SUMMA. HAEC. DIXERIS.
SI. NON. MAIORA. OCULIS. ANIMISQUE. OCCURRANT.
PARUM. QUIPPE. SE. FECISSE. ARBITRATUR.
SI. PASTORES. ANIMARUM.
AD. VERBI. DIVINI. SEMEN. SEDULO. IACIENDUM.
AD. SALUTIS. AETERNAE. AUXILIA.
SANCTE. ET. DILIGENTER. DISPENSANDA.
PATERNIS. MONITIS. ET. SERIIS. IMPELLAT.
PRAECEPTIONIBUS.
NISI. OMNI. QUAE. OFFERTUR. OCCASIONE.
FERVORE. AESTUANS. APOSTOLICO.
IAM. AB. ARA. IAM. E. CATHEDRA.
ORE. DISERTO. DICTIONIS. FACILITATE. ET. GRATIA.
VERBUM. DEI. ET. SACRAMENTA.
PRAEDICANDO. ET. ADMINISTRANDO.
EXEMPLO. IPSE. SUO. EOSDEM.
PERTRAHAT.
NE VERO.
PABULO. SPIRITUALI. ALIOS. PASCENTES.

SUI. IPSORUM. IMMEMORES. FIANT.
IMMO. UT. IN. SEMET. CONVERSI.
AD. FOVENDUM. RELIGIONIS. SPIRITUM.
VERBO. ET. EXEMPLO. MUTUO.
ACCENDANTUR.
EXERCITIORUM. SPIRITUALIUM. USUM.
NON. SINE. UBERE. ANIMORUM. FRUCTU.
ET. SOLATIO.
IPSE. AURORAE. INSTAR. PRAEFULGENS.
REVEHIT.
HAEC.
IN. AMPLIUS. ANIMARUM. LUCRUM. CONVERSURUS.
TOT. OLIM. NOMINIBUS. ECCLESIAE. PERUTILES.
MISSIONES. SACRAS.
INSTAURAT.
QUAE. QUIA. OVILE. CHRISTI. IN. UNIVERSIS.
ORBIS. PLAGIS.
PER. HEROICAM. VIRTUTEM. ET. LABOREM.
NOVO. GREGE. OLIM. DITABANT. ET. NUNC. DITANT.

SINT.
IN. ALMA. QUOQUE. PATRIA. NOSTRA.
QUI. DIVERSIS. EIUSDEM. IN. PARTIBUS. ET. LOCIS.
APOSTOLORUM. PEREGRE. VENIENTIUM. VICE.
SERPENTES. TACITE. ET. PALAM.
VITIORUM. RADICES.
GLADIO. LINGUAE.
VERITATUM. DIVINARUM. VIRTUTE. ACUTO.
SUCCIDANT.
ATQUE. ITA.
PARATA. ANIMORUM. NOVALIA.
IUSTITIAE. CHRISTIANAE.
UBEREM. COELO. MESSEM. FACTURA. SEMENTE.
CONSERANT.
IAMQUE. IN. CULMINE.
IMMORTALIS. GLORIAE. ET. MERITORUM. STARE.
DICAS.
NISI. VIDEAS. EUM.
NOVO. EOQUE. AMPLISSIMO. FULGORE.

CORUSCARE.
E. DEDICATIONE. BASILICAE. STRIGONIENSIS.
HONORIBUS. B. MARIAE. VIRGINIS.
IN. COELOS. ASSUMTAE.
QUAE. INNUMERIS.
CURIS. CONATIBUS. IMPENSIS.
DIVORUM. ARCHI-PRAESULUM. STRIGONIENSIUM.
RUDNAY. ET. KOPÁCSY.
SUBLATO. OMNI. VETUSTATIS. SQUALLORE.
A. FUNDAMENTIS.
INCHOATA. ET. ADAUCTA.
PARIBUS. HUIUS. MERITIS.
AD. OMNEM. MAGNIFICENTIAM.
EDUCTA. ET. CONSUMMATA.
DIVINO. CULTUI. ISTHIC. EXERCENDO.
SOLLEMNITER. CONSECRATUR.

AMPLIOR. QUAM. DICI. QUEAT.
EX. HAC. SOLLEMNI. DIE.
TOT. SAECULIS. ET. VOTIS. EXPETITA.
UNIVERSAM. QUA. PATET. HUNGARIAM.
INUNDAT. LAETITIA.
DUMQUE.
SACER. ET. PROFANUS. ORDO.
SUMMI. NON. MINUS. AC. IMI.
IDCIRCO. IURE. CONGAUDENT.
ORDO. SCHOLARUM. PIARUM.
PROVINCIAE. HUNGARIAE. ET. TRANSILVANIAE.
PIO. ET. PATERNO. EIUSDEM. AFFECTU.
SUMMO. EREPTUS. DISCRIMINI. ET. QUASI. REGENITUS.
IN. SINCERISSIMAE. PIETATIS.
ET. PERENNATURUM.
GRATI. ANIMI. MONUMENTUM.
HISCE. GRATULATUR.

SOLLEMNIA DEDICATIONIS

BASILICAE STRIGONIENSIS

AD BEATAM VIRGINEM MARIAM IN COELOS ASSUMTAM.

Gloria! coelesti nunquam non proxima patri
Huc ades, et sacris perge favere tuis.

En! patet Istrograni sublimi in vertice sedes,
Digna tuis studiis, numine digna tuo.

Ipsaque tot precibus lux exorata refulsit,
Qua ferienda tibi victima prima cadat.

Eia, age propitio calidis adlabere votis
Vultu, qui summum moverit usque Deum.

Mox aderit cognata polis pietasque fidesque,
Et studium recti, curaque iustitiae.

In pretium venient verae praecepta salutis;
Nec positis deerunt thura precesque focis.

Audior: en! cunctis patriae de finibus amplus
Concurrit populi pontificumque chorus:

Teque, pium numen, iam praesens voce salutant
Cordeque, queis rutilans annuit ipse polus.

Et iuvet, et iustos cave dedigneris honores,
Hungara dum sacro flagrat amore Sion.

Iamque frequens scandit clerus populusque fidelis
Undique conspicuum strigoniense iugum.

Exultant grato passim pia pectora sensu,
Tot sua dum superis vota probata vident.

XIV.

Nec desunt liquidae voces lituique tubaeque,
Quive notet populi gaudia summa, fragor.

Iubila delectent alios, et gratia cantus;
(Quamvis haec etiam, queis tenearis, habent)

Ipsa pios animi plaudens spectabis amores,
Additaque accenso liba merumque foco.

Semper ut erectis maneas propensior aris,
Haec tua quo peragat sacra tenore, vide.

En! iam res agitur: summus pro more sacerdos
Circuit aeterno tecta sacranda Deo.

Moxque Deum et sanctos in sacro limine cuncto
Cum populo pronus deveneratur humi.

Ingressusque subin bis sex loca fixa perungit
Malobatri forma rite liquore crucis.

Hinc sparsos cineres graiis simul atque latinis
Signat (nec reputes symbola vana) notis.

Haec inter renovare preces, suspiria, cantus,
Et curae est flexo procubuisse genu.

Iessei fuerit vatis mihi spiritus, isthinc
Ut cuperem magno magna sonare Deo!

Quod licet, et pateris, te patrem rite vocabo:
Nomen prae reliquis hoc tibi iure placet.

Fac, pater omnipotens, tua nobis gloria semper
Sacro hoc adstiterit grata recensque loco.

Fac, precor, his aris quaecunque calentia surgent,
Irrita nullius vota precesque cadant.

* * *

Vota ex communi gaudio.

Festa dies rutilat: nec habent pia gaudia fines,
Nec valet Istrogranum continuisse sinu;

Illa sed exundant tumidi torrentis ad instar,
Per cunctas patriae, qua patet illa, plagas.

Nec satis: excedunt montes vallesque peramplas,
Et subeunt colles, inclyta Roma, tuos.

Orbis Roma caput, coelique vicaria sedes,
Nostra, viden', te ornet qua pietate Sion?

Sacris illa tuis nunquam non vixit amica,
Nec renuit labii munera docta tui.

Quave sator regni Stephanus tibi lege fideque,
Saecla tot addicta est lege fideque pari.

Illius ut sortem fueras miserata frequenter;
Arserat haec toties reddere grata vices.

Saepius ornaras huius tu prima galero
Fulcra; sed haec tulerant et tibi grande decus.

Ipsa novis aris patriae sacra lipsana mittis;
Haec decorat nitido, quo decet, illa loco.

Huius prima, precor, caleant tibi vota diei,
Quae pietas et quae fundere gestit amor.

Vota ex praesentia principum.

At quae musa mihi memoret? pia gaudia quantos
Eliciant motus, quaeve tropaea ferant!

De cunctis cives concurrunt finibus almae
Pannoniae, atque oris, terra remota, tuis

XVI.

Nec pia turba ruit tantum: sed latius isthic
Et cleri et patriae lumina prima micant.

Quis tamen hic? nulli qui maiestate secundus,
Ante alios rutili solis adinstar adest.

Gratia cui comes it, charites cui fronte morantur,
Cui stipant pietas, relligioque latus.

Tene patrem patriae, populorum spemque tuorum,
Orbis delicias, et decus omne throni?

Tene hic conspicimus laeti, Augustissime Caesar,
Sacrantem summo debita thura Deo?

Sic te numen amet, terris quod regnat et astris,
Par ut agis magnis irrequietus avis.

Ut Ferdinandis, utque aemulus ire Rudolphis
Virtute adcuras, relligione, fide.

Te tale exemplar mundus miretur, ametque,
Et studio iustum discat amare tuo.

Vota ex desideriorum successu.

Qua furit et late populos trux demetit ensis
Tartare sive tuus, seu Solimanne tuus:

Quid? nisi templa ruunt, pietasque fidesque fugantur,
Aegro barbaries incubat ipsa solo.

Nec tibi Strigonium, patriis urbs inclyta fastis,
Sors melior: patriae luget et alma Sion.

Quot gemitus et quae surgunt suspiria, maestam
Si placida relevent astra benigna manu!

Iamque polis virtus Barkóczii ornanda videtur,
Tollere cui curae rudera tetra fuit.

Heu! aliter factum est: virtutem hanc astra reposcunt.
Et nova stat veteri iuncta ruina diu!

Pontificum patriae, cleri, populique fidelis
Assiduae tandem non cecidere preces.

Rudnay sit primus, superi voluere, vetustum
Qui levet herculeo pene labore situm.

Qui videat lapides, thebana ut maenia, moles
Crescere in immensas, arte regente, cito.

Ausus magnanimi fuerint haec praemia; tantis
Nam properat meritis reddere digna polus.

Teque pari studio distentum, clare Kopácsy,
In medio cursu mors inopina rapit.

Proh dubium vitae cursum! molimur; et alter
Exacti laudem saepe laboris habet.

Interea arrectae ne spes frustrentur, ut amplum
Continuetur opus, cura patris patriae est.

Dispicit haec, onerique pares et culmine tanto
Cumque animis humeros quaerit acuta diu.

Obvia sollicitae en! (et non sine numine) virtus
Fulgurat e meritis, clare Scitovszky, tuis.

Cui pia musa dehinc votorum iusta tributa,
Quam tibi, vir princeps, officiosa feret?

Vota ex honoribus suae Eminentiae

S. R. Ecclesiae Cardinalis Presbyteri Ioannis SCITOVSZKY. *etc.*

O mihi, si faciles veniant ad lintea venti,
Et liceat modica marmor arare scapha!

Dicere gestirem praecelsos, praesul, honores,
Qui meritis gaudent se sociare tuis.

Pene fide maius: vix lauri tempora inumbrant,
Cingere mox eadem sacra tiara cupit.

Doctorem celebrat, quo nunc gaudebat alumno,
Nec mora, pastorem Rosnava laudat eum.

Amplior hinc dotes et curas area poscit:
Iamque vocat Baranyae terra beata suum.

Ergone, dicebas, humili, frustraque modesto
Praeter vota mihi templa recludet honor?

Sic est. Quin noris, iam te praenuncia vulgat,
Qui superant, cunctos fama subire gradus.

Fitque ratum superis. Te vult pastore beari,
Quae patriae semper prima columna fuit.

Emicat inde novis nomen fulgoribus Archi-
Praesulis, et celsi principis inde tuum.

Et nova cum titulis glomerantur munia, quorum
Quodvis te totum vindicat usque sibi.

Nec satis: eximiis accedit Roma triumphis,
Gaudens, quod super est, accumulare decus.

Quis fuit ille dies, qui te fulgere galero
Ornatum, et vidit reddere vota Deo!

Vidit in amplexus ima pietate ruentem
Christiadum summi principis atque patris!

Qui fora sacra novis titulis et iuribus auctum
Te vidit fastis inseruisse suis!

Sed quae musa potis fuerit resonare favores
Virtuti adpositos, magne Scitovszky, tuae?

Aut aliquid fuerit, cui coelum plaudere pulchram
Praeter virtutem; cuive favere queat?

Vota ex eiusdem suae Eminentiae virtutibus.

Non ego, praesidium vatum, te, Phoebe, rogabo;
Nec precor auxilium, turba novena, tuum

Fecerit hoc, cui vana placent, cui certa canendi
Causaque sufficiens materiesque deest.

Huc ades, o coeli pulcherrima filia! virtus,
Tu mihi sollicito tu mea plectra move.

Tu nisi par miseros mortales sola beare es;
Coelitibus vere tu nisi sola places.

Semper erat nobis numen venerabile vestrum,
Et positis curae thus adolere focis:

At vero Istrogano qua maiestate refulges
In vita et meritis praesulis atque patris;

Eminus hanc tacito tantum comitabar honore;
Ausa nec est tantam nostra sonare chelys.

Quippe prius numeret fulgentia sidera, fluctus
Aequore, per campos gramina, vere rosas:

Audax qui cupiat laudum se credere ponto;
Illa quibus merito concelebranda foret.

Scilicet hanc melius praegrandia facta loquuntur,
Per patriae cunctas inclyta facta plagas.

Vos arae testes, vos splendida templa, simul vos
Usibus (orba diu!) tecta reclusa piis.

Hic socios videas celebres a nomine Iesu
In veteres laeta fronte redire lares.

Mentibus hic avidis verae documenta salutis
Percita divino labra calore sonant.

Et fracti late satiatur munere panis
Addicti Domino turba tenella gregis.

Vos quoque languentes non estis ultima cura:
Quippe manus maestos, quae relevabit, adest.

Plurima quis referat divini pignora cultus,
Queis hominum curae, queis pia corda calent?

Siquid habet dignum superis et laude perenni
Artificum sollers oppificumque labor.

Siquid nata polo terris doctrina beandis
Et dedit, et promta est numine plena dare.

Praesulis haec summi virtus et cura favore
Magnanimo, et vigili provehit ingenio.

Aspicis hic primi patriae de nomine regis
Nec minus insignes de pietate viros?

Quantus amor fibris! studium quod pectore toto!
Debitus ut superis accumuletur honor.

At tibi, clara Sion patriae, quis splendor! eodem
Praesulis et quantus crevit amore decor!

Marmora et aera tibi decus immortale parabunt:
Plus tamen his pretii lipsana sacra dabunt.

Inde Valentino hinc facies pia vota Modestae,
Et precibus iustum munus utrinque feres.

Praecipue magnam quoties venerabere Matrem,
Quae nitet en! primo conspicienda loco.

Corque pium quoties divinior usserit ardor:
Irrita non unquam vota precantis erunt.

Vota ex cultu Immaculatae Virginis Mariae.

Iam tibi, diva Parens, meritos depromsit honores
Et Roma, et Romae deditus orbis amor.

Suspicit illaesae, et credit sacra lilia vitae,
Quae soli dederat gratia sola tibi.

Quod pia mens dudum, quod voxque fidesque probavit,
Orbe palam posthac nil celebrare vetat.

Fervet amor, quo digna struat monumenta Mariae,
Inque pios titulos ingeniosus adest.

Ecce novam Divae, et plaudens mirare tabellam!
(Anne tuus similem pingere par sit amor?)

Et simulacra viden sic marmore sculpta et in aere,
Protinus ut iures marmora et aera loqui?

Et fora cum vicis, et templa decora, cathedrae
Nomine sic resonant, virgo Maria, tuo:

Ut sanctam penitus, penitus te labe carentem
Laudent, et fidei dent documenta suae.

Haec alii: quid nos? quid mecum nostra Thalia?
Num nostro pietas pectore nulla calet?

Sic nos semper amet rutilae Deus arbiter aulae;
Sic nos Virgo, piis tam bona, semper amet:

XXII

Ut cupimus pulchram, macula sine dicere totam,
Quae fuerat Domini Mater amata sui.

Ut cupimus stellam plenam fulgore fateri,
Et sine peccati vepre fuisse rosam.

Quis scit, an hinc nostris contingat gratia culpis:
Et videam faciles ad mea vota polos?

Summa licet promam divinae encomia Matri;
Semper erunt votis illa minora meis.

Quis coeli Dominam? quis miram in virgine Matrem
Rite quis haecce poli „tu benedicta" sonet?

Quod nequit ars, nequeunt tenues in carmine vires,
Debita compensent vota, Maria, tibi.

Aspicis o Mater divino proxima nato,
Ut liqueant toti, quos pius urit amor!

Cerne, P i u s longo procedit in ordine primus!
(Nomine num tanto dignior ullus erat?)

Mox, qua procurrit spatiosi terminus orbis,
Aemula succedit cum pietate fides.

Cum populis reges, grex cum pastore fidelis
Submittunt aris corque caputque tuis.

O age flecte oculos mitissima! respice, quantus
Terrigenas miseros turbinis aestus agat!

Fac, precibus fusis, pacis revirescat oliva;
Fac redeat terrae, qua caret aegra, salus.

Sic quaqua versum tibi, Diva, rosaria surgant,
Nexaque stelligeris sint nova serta comis.

Sic magnae Dominae tibi gloria, lausque perennet:
Sic stet praesidio terra polusque tuo!

ELEGIARUM

LIBRI QUATTUOR.

PIAE. FELICI. AUGUSTAE.

DOMUI. AUSTRIACAE.

RELIGIONE. FIDE. PIETATE.
AEQUITATE. IUSTITIA. BENIGNITATE.
SEPTEM. IAM. SAECULORUM.
CURRICULO. INCLYTAE.
TERRA. MARIQUE.
FORTITUDINE. BELLICA. STUDIO. PACIS.
HAEC. INTER.
MAGNANIMITATE. PRUDENTIA. DEXTERITATE.
AUDACIA. GENEROSITATE.
SEMPER. GLORIOSAE.
OPTIMARUM. ARTIUM. ET. SCIENTIARUM.
CURA. LIBERALITATE. MUNIFICENTIA.
BENEVOLAE. ALTRICI.
IMPERII. REGNORUM. PROVINCIARUM.
SALUTI. FORTUNIS. ET. COMMODIS. SERVITURI.
MERCATUS. ET. AGRICULTURAE.
SOLLICITAE. FAUTRICI.

VIRTUTIBUS. ET. MERITIS.
GRATIA. PRAEMIO. HONORE.
ORNANDIS.
LAETIS. FOVENDIS. MOESTIS. CONSOLANDIS.
OMNIBUS. SUIS. POPULIS.
BEANDIS.
NON. SINE. NUMINE. ET. PROVIDENTIA.
DATAE.
FAUSTITATEM. GLORIAM. FELICITATEM.
AC DECUS AEVITERNUM.

ELEGIARUM

LIBRI PRIMI

Elegia I.

Ad FRANCISCUM I. *imperatorem et regem, dum e morbo gravissimo convaluit 1826.*

„Vivat io!“ resonant patres, quos urbe Pisonis
Et patriae et regis nobilis urit amor.
„Vivat io!“ repetunt populi terraeque beatae,
Nec possunt tacito gaudia ferre sinu.
Orbis deliciae, Franciscus, tela minacis
Effugit mortis; quis pia vota premat?
Ferreus est, quem non communia gaudia tangunt,
Quem non laetitiae signa decora movent.
Ecce! petunt pietate graves altaria mystae,
Et votiva Deo thura precesque litant.
Exultant cives patriae summique senatus,
Edentes animi pignora pulchra sui.
Pars pia, quae mulcent flagrantia pectora, sensa
Ad placidum suadent esse ferenda thronum.
Pars concepta legit, sua iungens vota; nec ullus,
Quem non par pietas mensque animaret, adest.
Quin etiam gentes alio sub sole remotae,
Quas non illius sceptra benigna regunt;
Non minus ac propria laetantur quaeque salute.
Tantus amor regnat, caesar amate, tui!
Te summis rutilum virtutibus orbis amare,
Te duce condidicit fasque piumque sequi.
Te vidit, rapidis iactatum saepe procellis,
Impavidum tumidas sustinuisse minas.

Te miratus erat tanto de culmine terris
Nunquam non facili promicuisse face.
Hungara testis erit tellus (sic cetera pro se
Contendunt niveam regna probare fidem).
Testis erit semper cordis, Francisce, paterni,
Quo devota tibi gens recreata fuit.
Vidimus infestos nostris a finibus hostes
Armis et forti te repulisse manu.
Caerula quoque patent spatiosi tergora ponti
Intumuisse tuis hunnica vela Notis.
Vidimus et nomen libertatesque tuentem,
Balsama vulneribus promta tulisse simul.
Immo etiam, quo nos servares, teque tuosque
Digna tibi, caesar, cura sacrare fuit.
Huncce patrem patriae salvum, reddentibus astris,
Quis non laetetur? quis pia vota premat?
Fractos post hostes Martis rigidosque labores
Gratior optatae pacis oliva viret.
Gratior est cunctis fulgens post nubila Phoebus
Et, post curarum pondera dura, quies.
An non, depulso vitae discrimine, nobis
Tam cari capitis grata sit alma salus?
At quo maior erat luctus maerorque dolorque:
Amplior hoc votis, laetitiaeque seges.

*
* *

Plangimus, et lacrimis toti squallemus obortis,
Et gelidum quaevis pectora frigus habet.
Mox querimur, iusto tribuentes verba dolori,
Et quasi profuerint, corque caputque damus.
Nec dolor aut lacrimae, fusae nec saepe querelae
Nec metus aut maeror ferrea fata movent.
Occidet! (insinuat pernici fama volatu)
Qui modo tot populis vita salusque fuit.
Occidet! en dubio sacra iam suprema parantur:
Nil opis in medicis, pharmaca nulla iuvant.
Ergone Franciscum nobis ploremus ademtum?
Nec, quae nos relevet, spes superesse potest?

Nec probitas nec tot regnorum vota morantur
Omnibus emensam mortis adire viam?
Eheu! fracta iacent nostrae solatia vitae;
Quid? nisi nos lacrimis ora rigare iuvet.
Omnia destituunt, quo spes nos anxia ducit,
Propitiamque negant terra polique manum.
Terra neget, quam non potis est conferre, salutem:
Non deerit superum, si mereamur, amor.
Hos, prece vel pretio mox conciliemus, oportet:
En! vocat exemplis magna Vienna suis.
Non satis huic trepidare, gravesque effundere fletus,
Non satis huic querulo promere verba sono.
Templa petit, cari patientis celsa relinquens
Atria, ut inveniat gaudia, templa petit.
Illic flexa genu velatum numen adorat,
Numen, quo maius non habet ipse polus.
„O Superi! geminat: vestri nos inter imago,
Cernítis, ancipiti qui labet usque malo?
Heres si fuerat magnorum magnus avorum,
Si magnus meritis, nec pietate minor;
Austriadumque sator si quondam ut sacra Rudolphus
Mystica pronus humi deveneratus erat;
Si virtus vobis cordi est, si ferre salutem
Regnis et populis gloria digna polo est:
Percarum, petimus, patrem servate suorum,
Innumeris cum illo statque caditque salus.“
Mox redit, et tanquam voti damnata requirit:
An trepidas posuit febris anhela minas?
Rursum templa petit, repetitque palatia rursum;
Aestuat, et motus non capit aegra suos.
At vero gemitu non dispar hungara tellus,
In votis fueris fors precibusque minor?
Et tua templa patent, et cor tibi regis amore
Flagrat Francisci; te quoque cura premit.
Gaudia cuncta silent; regnant suspiria, luctus:
Nec nisi apud superos, quo recreeris, habes.
Fallimur? an coelum populorum vota serenant?
Et patris est levius, quam fuit ante, malum?
Sic est. Vota valent: superumque favore revixit,
Qui prope iam amissus, depositusque fuit.

* * *

Quae mihi musa queat solatia tanta, quod oestrum
Tam gratam cunctis rite sonare diem?
Hanc ego natalem nobis, arisque focisque,
Hanc sacram pleno iure vocabo diem.
Saecla renascuntur tecum, augustissime caesar,
Aurea, queis utinam finis abesse queat!
Haec memores recolent venturis tempora fasti;
Nec, qui felices nos neget, ullus erit.
Vita redit tecum populis regnisque beatis,
O decus! o aevi gloria prima tui!
Omnibus idem animus, queis sidus amabile luces:
His etiam, oro, pias adnumerato scholas.
Hae, quia sollicito nulli cessere dolore;
Aemula nunc cunctis gaudia iure fovent.
Musa sit haec testis. Tu nobis munere divum
Reddite, adhuc praesis, caesar amate, diu!

Elegia II.

Ad natalem sexagesimam imperatoris et regis apostolici FRANCISCI I. *1828.*

Illa dies orbi, caesar Francisce, refulsit,
Nascenti quondam quae tibi prima fuit.
Siqua micat, duodena poli dum signa patentis
Phoebus adit, nostris cordibus alma dies:
Illa quidem praesens fuerit. Nunc iubilet aether!
Nunc iterent gratos plectra canora sonos!
Deliciae divum, regum lux, gloria nostri
Franciscus saecli, publicus orbis amor,
Bis sex lustra suae recolit felicia vitae;
Nostra queant certum gaudia nosse modum?
Tot populi, tot regna piae dant pignora mentis,
Et patriae gaudent percoluisse patrem:
Nos lare sub tenui tacitos iuvet usque latere?
Et nostris pietas exsulet usque scholis?

An non prae reliquis teneram fovet ille iuventam,
Moribus et musis utque colatur agit?
Novit quippe bonos tunc fructus arbore carpi,
Si domino curae virga tenella fuit.
Si nimios canis urentis bene temperet aestus,
Sit quoque languentem tollere cura sitim.
Si, queis luxuriat, sollerti falce stolones
Amputet, et crudam nobilitare sciat.
Hinc quot adis urbes, totidem quoque cernis Athenas,
Quas tanti patris dextra benigna regit.
Quin humiles pagi sunt illi atque oppida curae;
Sic, ne musarum pars vacet ulla, cavet.
Quid? quod et assiduis populos recreare laboret
Consiliis, iussis, relligione, fide?
Scilicet his explet patulum virtutibus orbem,
Fas simul atque aequum saecla futura docet.
Vidimus indomito vexatum Marte, quid ille?
Nunquam non fortis, par sibi semper erat.
Non favor inflavit sortis, non laesit acerba;
Qua poterat, studuit promtus adesse suis.
Non minus atque pater natorum ductus amore,
Quo servet tremulos, et sua seque litat.
Vidimus in gremio populorum saepe suorum;
At quam propitii sideris instar erat!
Purpureoque velut Titan dum surgit ab Euro,
Noctem cum tenebris luce micante fugat:
Protinus ex animis cunctorum fronte serena
Mordaces curas alloquioque levat.
Balsama vulneribus fundit, facilique precantum
Undique collectos excipit aure sonos.
Sic non pace minor, quam bello magnus et armis,
Sic nitet austriacae digna propago domus!
At vero, studio quo commoda certa suorum
Provideat, digne quis celebrare queat?
Aspice, quam vigili perlustret lumine, quidquid
Omnigena cives prosperitate beat.
Quo decus et nomen, quo manat gloria fonte,
Sollicita prudens sedulitate paret.
Anne vides cultis subsellia prima nitere
(Scilicet hinc florent regna beata) viris?

Fugerit aut quemquam? quo relligionis amore
Incensus fidei det documenta suae.
Quam doctos sanctosque viros, qui munere sacro
Pastorum emineant, mente sagace legat.
Tempora digna videns, virtutum praemia, lauros
Quam promtus nivea tendere saepe manu.
Nil igitur mirum est tanto sub caesare leges
Iuraque conspicuo rite manere loco.
Artibus ingenuis exactum semper honorem
Decerni, et meritis nonnisi stare decus:
Quotve fovet cura populorum corda fideli,
Nominis et famae tot monumenta legi.
Nec sat erat terris sublimia nomina ferri;
Ni mare Franciscum, qua patet, omne colat.
Cum Zephyris Euri, tepidi cum Aquilonibus Austri
Nomine sub tanto turgida vela vehunt.
Quis nescit? placidum quo pacis numen adoret
Pectore, detque piis thura cremanda focis.
Anne etiam siquos minus illi cernit amicos,
Quo divam proni devenerentur, agit?
Siste gradum pia musa. Pares non ipsa Maronis
Francisco laudes plectra sonare queant.
Eia boni cives! (decet hoc, et possumus omnes)
Tendamus duplices sidera ad alta manus.
O superi, toto geminemus pectore: carum
Tot regnis, populis protegitote patrem!

Elegia III.

Ad FERDINANDUM *hoc nomine V. regem Hungariae sollemni ritu inauguratum 1830.*

O quondam validis Árpád sublate lacertis,
Hungarici vindex nominis, atque soli!
Aspicis (aut manes fugiunt pia gaudia) gentem,
Quae dederat primo iura suprema tibi?
Aspicis, usque memor iurati foederis, almam
Regibus ut flagret reddere tota fidem?

Festinant proceres auroque ostroque micantes,
Succedit laeto nobilis ordo gradu.
Par studium cunctis: regi patriaeque fideles
Ferre animos et opes, pectora, ferre manus.
At simul exultant tali concredere clavum,
Cui sacra relligio iuraque fixa manent.
Scilicet has norunt duplices fulgere columnas,
Publica queis nixae resque salusque vigent.
Deficiant? fuerint (quid enim?) nisi lustra ferarum,
Siqua colent homines compita, regna, domus.
Migrabunt leges, populos Astraea relinquet,
Exsul erit rivo sanguinis emta quies.
Insurget rabies humano laeta cruore;
Vincula rumpentur, sceptra thronique ruent.
Quam bene consultum est populis, dum mutua nectit
Principis et civis mentem animumque fides!
Efflorent artes, commercia tuta coluntur,
Mollia securae tempora pacis eunt.
Hungara gens multis hoc noverat inclyta bellis,
Dura quidem, ast, aetas postera, cauta tui.
Arripe, dicebat, genere et virtute celebris
Árpád! audaci publica frena manu.
Dum tua progenies vitales hauserit auras,
Hungarus aeterna vos pietate colet.
Et bene; certa manus dubiis moderetur habenis,
Neglectas potius ni fluitare voles.
Plura quidem impellant praegrandem carbasa navim,
Siqua vehet merces, Inde remote, tuas:
Ipse tamen Tiphys, stellas qui observet amicas,
Qui vigilet saevis fluctibus, unus erit.
Unus in humano praecellit corpore vertex,
Si plures videas, quid? nisi monstra vides.
An non et, reliquos qui vincit luce planetas,
Sol, cunctis maior nubibus, unus adest?
Cumque hominum varias disiungat opinio mentes,
Insanusque animos saepius aestus agat:
Una, velim, mediis maiestas sedibus adsit,
Iactatam placida quae regat arte ratem.
Haec steterat patribus felix sententia nostris:
Num nos a magnis degeneremus avis?

* * *

At quantis video fervere paratibus urbes,
Hungara quanto ubivis corda calore tument!
Fallor? an ingentes ingentia gaudia motus
Signaque laetitiae publica vota notant?
Sic est: fama citis populos praetervolat alis,
Nuntiat et laetum laeta venire diem,
Quo Ferdinandus, magnorum sanguis avorum,
Celsa, coronatus vertice, sceptra feret.
Ista dies cumulet magni solatia patris,
Spesque bonas populis erigat ista dies!
Flore vigens aevi, dum mentes acrius urit
Gloria, se regnis applicat ille suis.
Ille salus orbis, populorum norma suorum,
Austriacae rutilans stella futura domus.
Eius quippe domus, cuius victricibus armis
Hungara bistonico terra levata iugo est.
Squallida sanguineis manabant saecula rivis,
Laeta prius patriae triste gemebat humus.
Pulsa loco pietas, votivis exsul ab aris,
In sua nequidquam templa redire cupit.
Munera terra ferax late cerealia fudit,
Eheu! non dominis fudit at illa suis.
Ister et ipse undis galeas et fortia volvens
Corpora, captivis decolor ibat aquis.
Attollensque imo rorantes gurgite vultus,
Dicitur hos querulus saepe dedisse sonos:
Ecquis pannonias tandem miserabitur oras?
Ecquis, vulneribus qui medeatur, erit?
Austriacae dum aquilae, densis quasi nubibus atrae,
Ecce! petunt tractus, hungara terra, tuos.
Fit fragor, acribus hinc atque hinc concurritur armis:
Cornua dum lunae denique fracta cadunt.
Buda, decus patriae, vinclis exuta vetustis,
Coelo tum poteras liberiore frui.
Austriadum inde domus, sublimibus alta triumphis,
Hungaricae ut vireat pacis oliva, facit.

Illius est, rigidis quod deinceps non strepat armis
Hunnia, sitque togae, sit simul apta sago.
Illius est, cultis niteat quod moribus, omnes
Quodque artes, vitae grandia fulcra, colat.
Quod stet honos aris, quod culpa scelusque facessant,
Inclyta quod virtus praemia iusta ferat.
Iure igitur sacra decoras tot facta corona,
Hungare, et obsequio commoda tanta praeis.
Iure voves: quae te sic diligit, atque tuetur,
Crescat, et aeternum floreat ista domus!

* * *

Dicta dies rutilat: plausus geminemus oportet;
Laetitia et votis pectora nulla vacent.
Spes et amor patriae iam Ferdinandus ovantes
Invehitur fines, hungara terra, tuos.
Quantus amor vultu! maiestas quanta moratur
Pectore! purpureis gratia quanta genis!
Haec species Phoebi est, roseo dum surgit ab ortu,
Unde calor terris vita salusque redit.
Haec quondam Carolis, haec magna Theresia vobis
Maiestas, solium dum peteretis, erat.
Iamque Deo iurat, nec non insignia sumit
Regia, iam augustis fert diadema comis.
O patria! o coeli non ultima cura faventis!
O gens invicta saepe probata fide!
Cernis, Franciscus quo sit tibi iunctus amore?
Ut maneat patriae lege fideque pater?
Ne tua prosperitas ullo sit laesa dolore,
En! patre te vivus providet ipse pater.
Eia, age, propitiis fer thura calentia divis,
Thura polis, niveam principibusque fidem.
Qui calamis, calamo; qui par est ensibus, ense;
Quique bonis, patriae consulat ille bonis.
At tu pannonidum spes surgens, maxime princeps,
Patris amor, populi deliciaeque tui!
Huc ades, et vultu, quo gaudia tanta ciebas,
Ominibus nostris laetitiisque fave.

O utinam ut vultus, animos ita cernere posses;
Perciperes, quanta te pietate colant!
Hi tibi longaevos et soles nube carentes,
Hi laudum segetem fidaque corda vovent.
Si iuvet imperium terra proferre fretoque;
Pareat imperio terra, fretumque tuo.
Austriacis aquilis comitem victoria semper
Se socjet; duce te crescat avita domus.
Aurea si pacis teneant te commoda, princeps,
Auspiciis veniant aurea saecla tuis.
Et venient: celsae dotes, sapientia rara,
Atque vigor magnae dant documenta spei.
Interea populis, rex Ferdinande, regendis
Assuesce et titulis muneribusque novis.
Qua patris, atque aviae vestigia summa tenebis,
Nil dubita, coeptis terra polique favent.

Elegia IV.

Gloriosae memoriae et piis manibus augusti FRANCISCI I. *imperatoris Austriae et regis Hungariae 1835. defuncti.*

Consternatio publica Europae.

Per quem conspicuo fulgebant regna decore,
Et firma Europae paxque salusque stetit;
Qui non tam princeps virtutibus inclytus, uno
Quam pater a cunctis ore vocatus erat;
Pro quo quisque suam cupiebat ponere vitam,
Et tulit orato vota precesque Deo:
Ille obiit caesar. Potuitne volubile fatum
Tam rutilum terris eripuisse decus?
Ullane lugubrior fama unquam perculit orbem?
Iustior in populis an dolor ullus erat?
At nuper, nequid fors triste subiret, opima
Flagrabant sacris cum prece thura focis.
Nullus erat, qui non potiores voverit annos,
Qui pia non tulerit munera, nullus erat.

Per iuga, per valles, per inhospita tesqua calebant
Plurima pectoribus vota litata piis.
Quod pietas, quod prisca fides, quod iunctus amori
Et labor et cultus multaque cura potest;
Ardebant omnes concordibus addere votis.
O utinam fuerint vota probata polis!
Necquidquam! Superis aliud decernere visum est.
Eloquar? an melius comprimet ora dolor?
Occidit! Ille decus populorum, gloria terrae,
Lux generis, solii spesque salusque sui.
Hinc geminant planctus urbes, lamentaque pagi,
Et passim lacrimis oppida cuncta madent.
Hinc moestis turres resonant clangoribus, ater
Mortales trepidos, templaque luctus habet.
Occidit, ingeminant, caesar Franciscus! acerbus
Mox renovat toties vulnera saeva dolor.
Nec modus, aut iusto maerori meta supersit:
Fungitor officio tu quoque musa pio.
Indue ferales, monimenta doloris, amictus,
Et circa frontem lenta cupressus eat.
Quaeve trahis plangens reflui suspiria luctus,
Eia, age, funerea perge ciere chely!

Franciscus belligerans et victor.

O mihi divinum si donet pectus Apollo,
Si doceat parvis magna sonare modis!
Insanos Martis cuperem memorare furores,
Quaeve tot abstulerant fata dolenda viros.
Scilicet hic meruit dignissima caesare virtus
Ignibus in mediis prima tropaea sibi.
Tempora erant perculsa metu, confusa tumultu,
Et velut irato non bene tuta mari.
Gallia tota furens ac in sua viscera saeva,
Miscuit extremis obvia cuncta malis.
Iamque suo infelix tumulo vicina perisset,
Nec prece nec pretio nec redimenda manu:
Si non Franciscum generosus concitet ardor,
Reddere legitimo pristina iura loco.

At dum grandi animo virtutibus instat avitis,
Quanta heu! pro populo cum populoque tulit.
Sustinuit mediis tumidos penetralibus hostes,
Pertulit a patrio tristis abesse lare.
Austriacis aquilis succisas viderat alas,
Viderat hostili signa revulsa manu.
Captivas doluit gentes urbesque decoras,
Moeniaque infausto sparsa iacere solo.
Quis credat? fuso maduerunt sanguine campi,
Decolor in fluviis unda cruore fuit.
Pone secuta fames funesti incendia belli,
Milleque morborum funera, mille neces.
Ipsa adeo pietas, veteri spoliata decore,
Ingemuit tetrum colla levare scelus.
Quantum erat et titulum dimittere honoris aviti,
Et toties dubias sortis adire vices!
Proh superi! quo demerito populique patrumque
Summos exercent fata proterva viros?
Nimirum virtus, tumidis vexata procellis,
Splendidior semper, nobiliorque micat.
Hectora quis nosset, si non certasset Achilli?
Fama Themistocli de Salamine venit.
Surgit et Aeneae de forti gloria Turno,
Addiderant Mario cimbrica bella decus.
Odrysias demas acies et proelia, quale
Hunnyadios nomen, Zrinyiadesque manet?
Francisco pariter (sic nomina magna perennant)
Rebus in adversis palma paranda fuit.
Nec minus emeruit, dum quaevis ardua nixus
Virtute et studio magnanimusque subit.
Plus tamen auxilio superum confisus, amoris
Saepius et fidei dat documenta suae.
Fallitur, aiebat, qui viribus omnia, quaequae
Impetus et svadet gloria, posse putat.
Altior evigilat mortalibus apta regendis
Cura, nec humanis pervia luminibus.
Haec levat oppressos, haec deiicit aequa superbos,
Inde manent meritum praemia, poena scelus.
Intonuit laevum: superis bona verba probantur;
Marteque mutato sors inimica fugit.

Frons elata ruit, tumidos quoque reprobat ausus,
Indecori properans vertere terga fugae.
Quas rapuit Vagram, quas Ulma, Marengo negarunt
Francisco lauros, Lipsia restituit.
Auxit et hostilem felix Hannavia cladem:
Victorisque diu gaudia spesque cadunt.
Fit via vi, castris felici foedere iunctis,
Quae simul et captos, captaque signa trahunt.
Qui mare, qui terras, qui spe possedit et auras,
Rupis in abruptae vertice fata stupet!
Et frustra fluxamque fidem clademque suorum
Atque animi queritur vulnera magna sui.
Iam nunc, iniusta qui lege coercitus ibas,
Rhene patens, ripa liber utraque, fluis.
Iam devastatis diuturno Marte cupita
Regnis et populis spesque salusque redit.

Idem triumphans et pacificator.

Quis fuit ille dies, caesar, dum cinctus oliva
In patriam domito victor ab hoste redis!
Quando, metu e terris trans aequora vasta fugato,
Explicuit sese pristinus orbe vigor!
Mox tibi in occursum votis ardentibus ibant,
Deposito tandem libera regna iugo.
Quasque petis terras, vox est haec omnibus una:
Providus Europae pacificator adest!
Nempe tibi, caesar, redivivam Europa salutem
Debet, et esse tuum grata fatetur opus.
Hinc omnis te gens super aethera laudibus effert,
Et nomen resonat quaelibet ora tuum.
Pyramides gratae memorant, titulique loquuntur,
Quam tua praecelsum gloria carpat iter.
O! quid ii, quorum cura propiore teneris,
Quos ais esse tuos, quos iuvat esse tuos?
Quae facies urbis? populi quis sensus amantis?
In patriam reducis dum videt ora patris.
Virtutem rediisse, et cum virtute reverti,
Aurea quae placuit dicere lustra, videt.

Quin urbes plaudunt tristes cecidisse catenas,
Queis constricta diu paxque salusque fuit.
Testis Roma mihi fueris, captiva tot annos,
Fato pontificis squallida facta tui.
O quoties superis lacrimans pia thura ferebas,
Auxilio duris rebus adesse velint!
O quoties gemebunda aiebas: sidus amatum!
Quando iterum radiis laeta calebo tuis?
Pone modum lacrimis, diuturnas mitte querelas:
Cordi Francisco est sors tua spesque tua.
Cernis, ut inductas satagat dispellere nubes,
Et coelo solem restituisse suo?
Ut properet primam summo pastore beare,
Sola velut tanti meta laboris eras?
Pontifices coluisse sacros, Romaeque favere
Austriacae semper gloria stirpis erat.
Haec pietas per avos constanter perque nepotes
Ibat, et eluxit sedulitate sacra.
Caesarei sedenim maiorum parcite manes:
Hinc quoque Francisco gloria prima venit.
Nec Romam recreare fuit satis: amplior isthinc
Magna patris patriae pectora cura movet.
Viderat afflictas gentes convulsaque regna,
Iuraque non proprio stare verenda loco.
Sedibus extorres reges populosque gementes
Praesentem querula poscere voce manum.
At mihi dicebat, siquam fortuna dedisti,
Decretum est aequi prorsus habere vicem.
Bella gerant alii, quos auri saeva cupido
Vexat; me populos pace beare iuvat.
Dixit: concilium regum mox laeta Vienna
Excipit, hospitibus iure superba suis.
Consulitur. Tandem maiestas cuique vetusta
Et ius et legum redditur integritas.
Arbiter Europae, columen prope totius orbis,
Dic, age, quis tanti nominis alter erat?
Crassus opes habeat, Pompeio cede triumphos,
Noscat Alexandrum terra patensque mare.
Arbiter Europae dum diceris, omnia vincis;
Nec, tibi quod donet gloria, maius habet.

Idem artium et scientiarum fautor.

Finiturus eram, positis de more tabellis,
Cum mare, quod nequeat cymba secare, patet.
Quin agis, admonuit Phoebus, nisi numina nostra
Totaque musarum laedere castra velis.
An non Francisco primos debemus honores
Illustres mecum, turba novena, deae?
Et cognata mihi non curas numina, prono
Stat quibus illius grande favore decus?
Aspicis, ut terra, Cereris per regna, ferace
Multiplici curas foenore solvat ager?
Largior ut Bromius fundat sua munera? nempe,
Non minus ac Cereri pax tibi, Bacche, favet.
Miratur Corydon, de pinguibus unde capellis
Serica pro duro vellere lana cadat.
Albent ingentes per pascua mollia tauri,
Nobilior pratis grandibus hinnit equus.
Scilicet alma Pales, quia gentes otia captant,
Ingreditur placido laeta per arva gradu.
Et Neptune tibi magni cumulantur honores,
Dum celerat naves per tua regna vapor.
Nec sua Pomonae et Silvano sacra negantur;
Muneribus Florae gratia maior inest.
Quid memorem multis ductas ad sidera moles
Impensis, faciles saxa per alta vias?
Pallas cura mea est et doctae Palladis artes,
Scilicet hinc populos commoda lausque manent.
At quantus tua templa subit, Tritonia, coetus!
Hunc dicas merito spes superare tuas.
Mille modis operisque calent, studiumque recentis
Cultus et veteris pectora mille tenet.
Vivos in vultus hic marmora mutat et aera,
Ut spirare, loqui marmora et aera putes.
Hic miros tabulis inducit ab arte colores,
Esse suam iuret Zeuxis ut ipse manum.
Nec desunt, quos docta movent praecepta Platonis,
Multis Euclidis cura laborque placent.

Quin alius propior studio fulgentibus astris
Metitur radiis sidera celsa suis.
Alter naturae cursus lunaeque labores
Explicat, et reflui cur meet unda maris.
Alter iura colit, legumque sacraria pandens
Ore gravi Themidi debita thura litat.
Paeonis lectis herbis curaque medente
Langvida sollicitos membra levare iuvat.
Quod colis Aonidas, quod vitae commoda sentis,
Immemor an pariter praeteriturus eras?
Desierat. Lustro vestigia cuncta monentis:
At mihi! quis fervor pectora laeta subit?
Namque velut sudo per florea rura volantes
Vere legunt crocei munera mellis apes.
Pars ceram stipat, liquidos pars condit odores,
Haec abit, illa redit, pars monet, ista iuvat;
Nec mora, nec requies: sic sedula castra Minervae
Urbes pene omnes, oppida multa petunt.
Sic nova Francisco saturnia rege recurrunt
Tempora: sic cunctis constat amata salus!

Idem virtutum omnium exemplar et pater suorum populorum.

Si licet, et pateris tua, virtus, templa subibo;
Vatibus haec certe fama patere docet.
At mihi Pierides solitos augete calores,
Fert animus vestro digna favore loqui.
Nil, Francisce, geris mortale; perennia nam te
Facta parem summis regibus esse probant:
Virtutum sedenim rutila te luce tuarum
Magnis misceri cernimus usque diis.
Eminet hic pietas magno dilecta Rudolpho,
Austriadum illustris creverat unde domus.
Proxima iustitia est, meritis quae praemia reddit;
Punit et admissum, vindice lege, scelus.
Maiestas media est: felix prudentia, praesens
Dexteritas stipant huius utrinque latus.
Adstant pacis amor, clementia regia, pectus
Forte, et fortuna maior utraque animus.

Et siqua est virtus, quae summo principe digna est,
Sunt vitae totidem numina iuncta tuae.
Desine musa: quibus nil maius viderat orbis,
Quis furor est modicis attenuare metris?
Iam prope conticuit: subito cum cernit: ut agmen
Virtutum, maior vertice, ducat amor.
Incaluit rursus. Te, divum cura, silebo?
Absit. Amor vati perge favere tuo.
Nota canam, non ficta; fidem mea carmina poscunt:
Nostraque, si meruit, laurea serta chelys.
Terror erat, dirae populos terrebat imago
Mortis per sedes, Iassore, nata tuas.
Obstupuere homines, et quid fugiantque petantque
Ignari et trepidi speque metuque labant.
Interea ruit hic, ruit alter, cumque ruentes
Alter conspexit funus et ipse fuit.
Protinus ingentis, quod corripit oppida et urbes,
Et sine lege necat, didita fama mali est.
Praevenit ast illud famam. Calcutta furori
Prima patet; Ceylon, Bengala tota gemit.
Nec minus Hindustan, et Persia maesta reposcunt
Cives, ante diem funera facta, suos.
Non Tanais prohibet, rapidaeque Borysthenis undae,
Quin petat et glaciem, Russia vasta, tuam.
Transiliitque Tyram, vicinaque regna petivit;
Belligeros agitat, plus quoque Marte, Lechos.
Me miserum! quantus per cunctas Pannonis oras
It metus! et metus est maxima causa mali.
Rura petunt alii, muris, domibusque relictis;
Securos alii se fore in urbe putant.
Quid facies Francisce? tuae iam proxima sedi
Intentat saevas exitiosa minas.
Ah fuge! quaque potes, metuendae te eripe morti:
Plurima nam tecum statque caditque salus.
Aut tibi non metuis? metuas, carissime, nobis:
Iste metus tanto principe dignus erit.
Nil ago: non trepidat, nec sedibus exit iisdem.
Et tutum celebrant, quem petat, esse locum:
„Ergone, quos patrio complector amore, relinquam?
Aut capiet cunctos, quo ferar, ille locus?

Fixum est. Si faveat mihi sors, si dura repugnet,
Caro cum populo, pars ego prima, feram.“
Vir divine! pater populorum vere t u o r u m!
Lux orbis, gentis portus et ara t u a e!
Quae pietas meruit? quis amor sic iunxerat? ut nos
Et vitae cupias praeposuisse t u a e?
Scilicet ut caesar superis vicinus honore es:
Sic tua stat pietas proxima coelitibus.
Nil iam mirabor, si t e, F r a n c i s c e, tuorum
Tantus, qua-moveas-cunque, sequatur amor.
O vigeat, superisque ratus sine fine perennet,
Qui t e, quive t u o s mutuus urit amor!

Consolatio e virtutum e i u s d e m aeterna mercede.

Heu spes fallaces! heu vota fugacia! raro
Contingunt nostris litora tuta scaphis.
Qui multo madidus terram sudore colebat,
Saepe bonam messis spem cecidisse dolet.
Fallit et exactum vindemia saepe laborem;
Quam dederat, fallit pontus et aura, fidem.
Cui prius emeritas properat victoria lauros,
Nec mora: devicto victus ab hoste iacet.
O quoties soboles, trepidae spes tota senectae,
In tumulum ante diem gaudia spesque tulit!
Purpureo radians dum sol procedit ab ortu,
Ista fluet, dicis, libera nube dies:
Ingruit ast Boreas: coelum nox eripit atra;
Aurea qua speras tempora, saevit hiems.
Urgemur fatis; quod erat mortale fatiscit,
Et dubio nutant gaudia cuncta pede.
Undique submotis de coelo nubibus aurum
In priscum coepit nostra redire salus.
Rex populo, populus ter amato rege beatus,
Quid? nisi coniuncta vivere sorte solet.
Huc pia contendunt regnorum vota: salutem
F r a n c i s c o multam pectora cuncta vovent.
Imminet interea stygio Libitina furore,
Et lacerat nigra votaque spesque manu.

Te nobis, Francisce, rapit mors invida! tanto
Non refugit terras laedere dira malo!
Nil agis o monstrum ferale! perennibus illum
Insculptum retinent pectora nostra notis.
Gloria sublimem curru vectabit eburno,
Aeternum toto nomen ab orbe feret.
Plenis excipiunt fastis praeconia gentes,
Atque super ventos et super astra levant.
Vivit et in summis virtutibus: inclyta regna,
Quas celebrent isthinc quasque sequantur, habent.
Quaeve nequit meritis decernere praemia tellus,
Astra parant, nil his par dare terra potest.
Aspicis elysiis excepto sedibus, illi
Obvia laetitiae flumina quanta fluant!
Cernit avos magno meritorum fulgure cinctos
Digna pari meritis tendere serta sibi.
Stemmatis aeterni circum numerosa propago
Hospitis arguta nomina voce canit.
Et laetum cuncti heroes paeana frequentant,
Dum rutilum recipit, praemia iusta, locum.
Huc plenis trepidant purissima gaudia rivis,
Gaudia, fons vitae quae sine fine dabit.
O decus! o quondam pulcherrima gloria terrae!
O populi gratum sidus amorque tui!
Respice regnorum comitantia vota tuorum,
Et genio recrees tempora nostra tuo.

Consolatio e successore.

Vota valent: tetricae fugiant de pectore curae;
Tristia maeroris signa revelle dolor.
En Ferdinandus, patris dignissimus heres,
Arripuit promta lora relicta manu.
Eia bonae gentes, posito squallore, paratum
Tendite, qua veniunt lustra beata, sinum.
Tuta patris nato vestigia rite prementi
Quis dubitet terras atque favere polos?
Non Boreas isthuc, non horridus imbribus Auster,
Non inimica furens nubila Caurus aget.

Perstat pacis amor, legum reverentia, iusti
Cura nitent solito cum pietate loco.
Per sacra virtutum revirescunt tempora lauri;
Sertaque promeritis debita nectit honor.
Sic nos patris amor placidis circumvolet alis!
Sic magni praesens vivat imago patris!

Elegia V.

Ad FRANCISCUM IOSEPHUM *imperatorem et regem apostolicum insano sicarii furori mira Dei providentia ereptum 1852.*

„Ergo mihi luctus tantum saevosque dolores
Et querula gemitus voce ciere datum est?“
„Ad tua busta pius, caesar Francisce, gemebam,
Eliciens sensus, moestâ Thalia, tuos.“
„Te quoque deflevi, prorex Iosephe remiscens
Ipse meas lacrimis, patria cara, tuis.“
„Virtutum amborum, simul ampli nominis heres
Iam mihi lugubri carmine flendus erit?“
Haec mihi mens, hic sermo fuit; dum caesaris almi
Paene fit horrendae victima vita neci.
Dedecus, et cunctis scelus execrabile saeclis,
(Aut siquod nomen vilius orbis habet).
Dedecus, atque scelus profuso sanguine cari
Caesaris infaustam contemerare manum.
Qui totus populis vivit regnisque beandis,
Quique est delicium et publicus orbis amor;
Cui comes it virtus, cui surgit gloria tanta,
Ut prope iam magnis par celebretur avis:
Illene succumbat furioso saucius ictu,
Cumque illo innumeris spesque salusque cadat?
Magne Deus melius! ductas ad sidera palmas
Et late effusas respice, quaeso, preces.
Cernis ut Europam tam infandi criminis horror
Perculerit? quantus regnet ubique dolor!

Attonitas, cernis quanta indignatio mentes,
Quanta agitet populos sollicitudo pios!
Cernis? quae divos consternet cura parentes!
Qualia pro dulci pignore vota ferant!
Proh superi! hoc tantum precibus concedite fusis,
Diripiant celeres ne bona verba Noti.
Audior. En! latum recreat rumore secundo
Fama orbem, cunctis fama cupita bonis.
Flos et amor saecli, caesar Francisce Iosephe,
Huc ades, atque animi symbola certa vide!
Undique quo maior fuerat luctusque timorque,
Amplior hoc gaudii est laetitiaeque seges.
Utque maris ventis dulce est saevisque procellae
Fluctibus ereptae litus adire rati:
Non minus incolumen te et verno flore nitentem,
Ut prius, o caesar! dulce videre tuis.
Laetior hinc iamiam spes deplorata resurgit;
Ut solet adfusis surgere gramen aquis.
Quin pietas et amor se passim prodere certant,
Regnaque cum populis aemula cura fovet.
Nec satis est coelo votivas reddere grates,
Largius et positis thus adolere focis.
Nec satis in tacitis propriisque penatibus ulli est,
Nullum laetitiae ponere velle modum.
Certatim coeunt, animique tributa locare
Ante tuum properant, caesar amate, thronum.
Forte fidem poscis? fidei documenta videbis
In merito leges semper honore tuas.
Te decus imperii et regnorum publica tangent
Commoda? tangentur sedulitate pari.
In vitae et capitis discrimina iusseris? ibunt.
Sanguis profusus pignus amoris erit.
Nec deerunt, laetum hunc patriis qui credere fastis
Et memori cupiant aere notare diem.
Plura valent alii. Fidei per saecula testis
O utinam maneas, parva Thalia, meae!

Elegia VI.

Ad IOSEPHUM *archiducem et regni Hungariae palatinum, dum civitates montanas inviseret 1822.*

Nec bis flaventes collegit messor aristas,
Nec violas toties terra rosasque tulit.
Nec bis spumantes calcavit vinitor uvas,
Pomifer autumnus nec sua poma dedit.
Regia quod soboles, par nomine, dignaque tanto
Patre, bonos nobis iusserat ire dies.
Has sedes vultu dignatus nosque sereno
Aeternum vinxit pectora nostra sibi.
Excelsae dotes: frons mensque excelsa, lepores
Eloquii, vires conciliantis erant.
At nunc qui sensus animis? quo pectora thyrso
Incaleant, rarum concelebrentque diem?
Princeps Iosephus nostris illabitur oris,
Dulce decus patrii praesidiumque soli!
Augustumque latus coniux augusta, benignos
Ore ferens soles faustaque cuncta, premit.
O mea si tumeat condigno vena calore,
Hospitibus tantis votaque digna sonet!
Flacce tuos audax cuperem tentare volatus,
Sive tuos Naso, sive Tibulle tuos,
Ut referam, quae nos communia gaudia tangunt,
Ut geminent cuncti votaque spesque suas.
Cerne vias urbis, fora, compita, cerne penates:
Nullus laetitiae non vacat usque locus.
Spectandi studio concurritur undique, certant
Cunctis, qui prope sunt, praeripuisse locum.
Omnibus idem animus laetos diffundere vultus,
Currere, qua pietas monstrat, et urget amor.
Hos formosa tenent dilectae coniugis ora;
Illos tu princeps, et tua forma capit.
Pars memorant laudes, pars regum sanguine natos;
Sunt quibus ornatus, pompa decorque placent.

Praegrandes alii gaudent resonare labores,
Quos tenero patriae ductus amore subis.
Scilicet ut prorex, quidquid bona publica poscunt,
Magnanimus quovis tempore ferre soles.
Bella premunt fines? animae tu prodigus altae,
Primus in ordinibus, ceu novus Hector, agis.
Advolat alma quies? veluti Palinurus acuto
Dirigis ingenio consilioque ratem.
Haec te (quis dubitet?) mens has devexit ad oras,
Ut curae niteant hic quoque signa tuae.
Nec satis absentum quod promtus commoda cures,
Nec satis in causas evigilasse fuit.
Ipse tuo recreas nos vultu, cernere gestis
Aestuet ut nostrum pectus amore tui.
Ipse videre cupis, qua fossor viscera terrae
Urgeat, abstrusas arte daturus opes.
Quo iuvenis studio sublimes excolat artes,
Quae teneat, quaeris, cura laborque viros.
Quis Themidis cultus, rectique piique quis ardor,
Quis sit honos aris, quod meritisque decus?
Tantae molis opus populis regnare! cavere,
Qui regit, imperii pars labet ulla, solet.
Nunc renovat leges, nunc dignis praemia ponit,
Neu careat poenis culpa scelusque, videt.
Hic rapit arma minax, serit illic pacis olivas,
Et curae, ut praesens omnibus adsit, habet.
Sic reges populos moderantur numinis instar,
Sic patribus patriae gloria certa venit.
Haec laus Francisco est, tu cui bene proximus adstas,
Illius referens, alter ut ille, vices.
Atque ita tu tanti mensuram muneris imples,
Hungarus ut iactet spes valuisse suas.
Talem nos tantumque pii veneramur, et imi
Obsequii toto symbola corde damus.
O talem tantumque tua cum coniuge nobis
Et patriae servent astra benigna diu!
Ista dies memori caelata in marmore vivet,
Vivet et in nostro rite notata sinu!

Elegia VII.

In praematurum obitum ALEXANDRI *archi-ducis, qui fuit filius Iosephi regni Hungariae palatini 1837.*

„Dulcis Alexander, mea quondam gaudia, nate,
Ante diem matri denique rapte, vale!“
Sic gemuit mater, nati dum pressit ocellos,
Queis rapuit lucem mors properata prius.
Vitales necquidquam herbae, succique medentes:
Sedula quantumvis cura laborque, cadunt.
Et frustra superos pia vota precesque fatigant;
Diripiunt surdi vota precesque Noti.
Quo tua mors tandem bacchatur saeva tyrannis?
Ergo nihil prorsus, quod verearis, habes?
Non usquam caperis vernantis flore iuventae?
Non quaeris stipulas, corripis anne rosas?
Nil spes tanta patris, nil expectatio gentis,
Et nihil (heu facinus) non meruisse iuvat?
Quid fulgor, quaeso, generis! quid sceptra, coronae!
Auseris haec atra contemerare manu?
Ferrea, quae passim confundis sacra profanis;
Ferrea, nil pensi, summus an imus, habes.
Et quamvis fuerit iustissima nostra querela,
Anne tamen tanti, qua moveatur, erit?
Aut minus admistos rapiet iuvenesque senesque;
Tuto forte dabit sacra manere loco?
Me miserum! perdo querulantia denique verba.
Falce ferox letum saevit, ut ante, sua.
Rumor it en! celebri regum de sanguine cretus,
Vivere vix coepit, victima prona iacet.
Illic bis tincta decoratus murice palla,
Et longum dignus vivere tempus, obit.
Parvulus hic lucem vix primis hausit ocellis,
Nox necdum natum iam premit atra diem.
Vir cadit hic dominae, coniux dilecta marito,
Illic et natis migrat uterque parens.

Nulli tuta salus, pereunt matresque nurusque,
Nec te securum firma iuventa facit.
Hanc homini legem fatalis noxa tulisti,
Lex eadem cunctis non revocanda manet.
Vah duram legem! vah causam legis acerbae!
Vita, brevi nobis eripienda, vale!

* * *

Parce tuis, moneo, bona fata lacessere dictis,
Quisquis es, et sensus corrige, quaeso, tuos.
Quis tibi pactus erat vitam sub sole perennem?
Quid dabis hic fixum perpetuumque loco?
Ecce suas mutat partes et dividit annus;
Quodque tibi praesens dixeris esse, fuit.
Fronde comisque valet, quam cernis, silva canoris,
Nec mora, iam viridi fronde comisque caret.
Ardua saxorum et praeruptos vidimus Idas
Praecipites veterem deseruisse situm.
Quaque iacent turpes, ingentia corpora, phocae,
Illic, quis nescit, monsque nemusque fuit.
Dic, age, firmius est aliquid vel pulchrius astris?
Astra tamen renuunt fixa monere loco.
Esto graves, dices, et fracti membra labore
Occiderint, in iis vita vigorque deest:
At furor est ramis immitia carpere poma,
Et crudos tenera vellere vite botros.
Ergone sicca polis gratus ramenta litabis?
Terra feret violas, munera, terra rosas?
An dubitas superis nisi libera labe placere?
Aut coelo obniti fasque piumque putas?
Non tibi sit curae decies quot videris annos,
(Quamvis, ut vivas, sit tua cura, velim).
Cura prior, cuperem, fuerit sine vivere culpa,
Et vitam meritis amplificare tuam.
Vita rosae brevis est, vincit tamen illa cicutam:
Scilicet haec gravis est naribus, illa favet.
Aeacides vivit meritis virtuteque clarus,
Ante suum quamvis concidit ille diem.

Mature cadit is, licet ipso Nestore maior,
Cum lacrimis cives quem cecidisse dolent.
Nos cito te, princeps, coelo accessisse dolemus:
Et quia vixisti vix duo lustra tener;
Et quia dulce fuit rarum vidisse vigorem,
Per tua qui fluxit pectora perque genas;
Et quia te patris maiorumque alta manebant
Signa, novis meritis condecoranda tuis.
Quas non spes animi dotes et gratia linguae,
Quas non et generis fama decusque dedit!
Patria quod magni quod promisere parentes
De te, care, sibi fluxa fuisse gemunt.
Ferte rosas pueri, et fragrantia nectite serta,
Exuviis veniant debita dona piis.

SACRIS. ECCLESIAE. HUNGARICAE.

ANTISTITIBUS.

IN. DEUM. PATRIAM. SUMMOS. ECCLESIAE. REGNI.
RECTORES. AC. REGES.
RELIGIONE. FIDE. FIDELITATE.
DEVOTIS.
HUMANITATE. PRUDENTIA. DEXTERITATE.
BENEVOLENTIA. CARITATE. GRATIA.
OMNIUMQUE. VIRTUTUM. FULGORE.
ILLUSTRIBUS.
DIVINARUM. HUMANARUMQUE. SCIENTIARUM.
NEC. NON. ARTIUM. OMNIUM. LIBERALIUM.
CULTORIBUS. ET. MOECENATIBUS.
GLORIOSIS.

AMICITIA. DOMESTICOS. HOSPITALITATE.
PEREGRINOS.
POTENTIORES. CULTU. PAUPERES. LARGITATE.
RECREANTIBUS.
IN. PERENNE. OBSEQUII. PIETATIS. VENERATIONIS.
GRATI. ET. OBSTRICTI. ANIMI.
MONUMENTUM.

ELEGIARUM

LIBRI SECUNDI

Elegia I.

Ad Petrum KLOBUSICZKY *archi-episcopum coloczensem iubilaeum sacerdotii celebrantem. Posonii 1825.*

Quid vetat absentem te, praesul maxime, nostra
Hic tibi sacrata concelebrare chely?
Tu procul a nobis sed noster vivis; et illic
Pectora, quae patrem hic te coluere, colunt.
Tu tacitus solique Deo bene notus ad aras
Lustra decem adsuetum farque merumque litas.
At nos his memores quae vota precesque feremus,
Quae patre quae tanto praesule digna forent?
Tu Boromaeo par sacrum moderaris ovile,
Petrus tu, quoties res ferat, alter ades.
Dicentem spectem, quis te ferventior alter?
Si sacra consilium causaque resque volent.
Plurima si largae contempler munera dextrae,
Munifico similem dixero iure Tito.
Scilicet ut rivi praeruptis montibus orti
Arva petunt celeri proxima quaeque fuga;
Et vitam et laetum campis revocare vigorem
Et properant siccam fonte levare sitim:
Archi-praesuleo sic tu sublimis in ostro
Munificam gaudes tendere saepe manum.
Nec satis haec divum templis arisque sacratis,
Nec satis haec tenui promta favere lari;
Ni benefactorum derivet flumen in amplas
Et patriae et iunctas, qua patuere, plagas.

Et quota pars haec sunt, quorum (cum plurima nocte
Pressa velis tacita) conscia turba sumus?
Innumeris tu, sors seu quos divexat iniqua
Sive fides nutans, portus et ara pates.
Hoc facit, ut vitam multi caramque salutem
Iure t i b i grata mente referre queant.
Hoc facit, ut, nulli cum sis pietate secundus,
Aemula non paucis pectora fervor agat.
Quid? quod, lucra D e o et patriae facturus, egentes
In matrum soboles praemia larga facis.
Cernimus e v e s t r o ter denos munere musis
Devotos quovis vivere posse die.
Nec tam cura t u a est, sita quae est in corpore vita
Hoc fragili, quamvis haec quoque cura tua est;
Quam sobolis tenerae vitam curare perennem,
Haec princeps v e s t r o pectore cura sedet!
Nil igitur mirum, pulchro si ductus amore,
Inter balantem cerneris i p s e gregem.
Alloqueris, stimulas, donasque, docesque, monesque.
Quam pia, quam tanto facta decora v i r o!
Quis neget hinc iustos superum venisse favores,
Queis viridis v o b i s tanta senecta fluit?
Ille vigor mentis, facundae gratia linguae,
Innocuae vitae rarior ille tenor.
Ingenium sacris cultum pariterque profanis
Iuribus, in duris spiritus ille potens.
Cunctaque, queis inter velut ignes luna minores,
Effulges, summi quid nisi dona D e i?
Et quisquam dubitet diviso iure praeesse
Coelicolas, atque hos, qui tenuere vices?
At si quos divi decorarunt dotibus, illos
Deligit et regum prosequiturque favor.
Est liquido cunctis praesul teramate tuorum,
Quam fuerint meritis numina prona t u i s.
Illorum favor est lustris bis quinque peractis,
Primitias rursum posse litare Deo;
Illorum favor est, grandi t e munere fungi
Viribus integrum p r a e s u l i s atque p a t r i s:
Quin etiam patriae patrum quod fervida vota
Promseris augusti principis ante thronum;

Hoc quoque, reginae quod crux te et annulus ornent,
An non conspicui signa favoris erunt?
O talem ac tantum patriae nobisque benignus
Te superum servet, maxime praesul, amor!

Elegia II.

Ad Antonium JURANICS *episcopum iaurinensem installatum 1825.*

Iauria, non modicis sortis vexata procellis,
Erige defunctum spe meritisque caput!
Ille pater patriae, cui commoda publica regni
Et tua sunt curae; te quoque corde fovet.
Nec tibi, dum viduis decernit Daphnida caulis,
Mittere pastorem pectore cura fugit.
Nec sinit (hoc poteras sensisse frequentius) inter
Ambigua ut nutes spemque metumque diu.
Hoc quoque, quod pastor tibi paulo serior adsit,
Non sine consilio crede venire gravi.
Principibus quicunque viris succedere possit,
Sit meritis princeps, noverat ille pater.
Anne diu viduum dum fors querereris ovile,
Haec tibi, quae recreent, verba paterna dedit?
„Iauria pone metum, diuturnos pone dolores,
Qui vincat longas spes tibi Daphnis erit.
Sunt mihi (sintque precor) radiantia lumina, quorum,
Quod praestat reliquis, hoc tibi lumen erit.“
Nec mora: fama citis patriam praetervolat alis,
Fortunamque sonat Iauria clara tuam.
Nobilium Juranics, referebat, sanguis avorum
Iauriacas magnus praesul adibit oves.
Illic virtutes, queis, ut ver flore, nitescit,
Spargent divinum tempus in omne iubar.
Illic quae lacrimis humentia viderit ora,
Absterget, placida svevit ut ante, manu.
Ac velut exoriens, discussis aethere nimbis,
Purpureo Phoebus provocat ore diem:

Sic tenebras dubii diducta fronte fugabit,
Sic ovibus revehet lustra beata suis.
Dixerat: et superum decretum Roma secuta est;
Iamque tibi optatus Iauria pastor adest.
Annulus atque pedum cum mitra cruxque refulgens,
Quid? nisi conspicui signa decoris erunt.
His novus, ut meruit, decoratus praesul ovantem
Ante gregem domini culmen honoris adit.
Assyrio nitidi stipant hinc murice patres;
Inde pii cleri longa corona praeit.
Adsunt doctorum lectissimus ordo virorum;
Tu quoque cum ducibus turba tenella tuis.
Undique laetantes currunt per compita cives,
Quaeque fovent animo gaudia, voce probant.
Non fractos annis aetas grandaeva moratur;
Non genus, aut sexus, cura nec ipsa laris.
Quin, velut isthmiacis dum victor cursibus urbem,
Quae genuit, populo festa colente subit;
Nudatur portis, nudatur moenibus illa,
Quaeque premat victor, grandia saxa iacent;
Oppida nempe putant praeclaro cive beata,
Certius ac validis tuta manere seris:
Iauria non aliter, muros exuta, lacertis
Excipis hunc patulis, qui venit ipsa patrem.
Nec sine iudicio divum, qui praesule tanto,
Cumque illo summa prosperitate beant.
Ille vigil rapidos ab ovilibus exiget hostes,
Sedibus excludet tristia quaeque tuis.
Siqua gregi viduo serpsit per membra petigo,
Ille malo pastor dulce levamen erit.
Vulnera curabit, per prata virentia ducet
Agnellos, coeli pignora certa, suos.
Utque iacit rutilos nivei crux pectoris ignes,
Undique consilii sic dabit ille faces.
At si divinos urgebit praesul honores,
In nostro, dices, praesule Paulus adest.
Quam gravibus verbis aeternae pabula vitae,
Quam larga sparget semina sacra manu!
Scilicet ut Latium facundo Tullius ore,
Cunctos eloquio sic tenet ille suo.

Hoc facit ut musis bene vix excultus honorum
Debeat illustres scandere saepe gradus.
Hoc facit, ut felix annis bis quinque decoras
Sustineat magni praesulis ille vices.
Testis ades Baranyae celebris provincia, Quinque —
Ecclesiae, urbs fastis inclyta, testis ades.
Optimus ut pro-rex iunctas tibi viserat oras,
Nonne, gravi qui te praetulit ore, fuit?
Ille viri egregias ut dotes suspicit: istum
Ad latus optarem semper habere, refert.
Sunt rata vota polis, patri patriaeque benigno:
Nec mora, conspicuum munere Buda videt.
Hic iam virtuti, quae sese lumine largo
Undique spargebat, digna theatra patent.
Nullus erat, placidi mores orisque diserti
Quem mox non caperet gratia, nullus erat.
Consilii flumen, multis mens dedita curis,
Iustitiae studium, relligionis amor,
Pulchraque temperies vultus frontisque modestae,
Vincula, queis animos conciliaret, erant.
Dividet has tecum posthac pia Iauria dotes;
Iauria felices inter habenda plagas!
At tu praesidium, spes et decus omne tuorum,
Fac, recrea cupidum, pastor amate, gregem.
Aspice laetantem motumque e sedibus imis
Basia pastori mille parare suo.
Dumque parant cuncti, nunc iam tua cura, bidentes
Laeta simul teneras en! Tata ducit oves.
His quoque, dum poscunt, sacratam porrige dextram,
Hae quoque, quae promant, pectore vota fovent.
Vivito cumaeos, clamant, bone pastor, in annos;
Virtutes celebrent saecula cuncta tuas!

Elegia III.

Ad Franciscum LAICSÁK *munus episcopi magnovaradinensis sollemniter ineuntem 1827.*

Cur tua laetitiae pariter maestique doloris
Alterni motus pectora Várad agunt?
Quippe gemis, Laicsák tua quod magalia linquat:
Gaudes praesuleo dulce micare loco.
Quod mitra atque pedo decoret Rosnavia gaudes;
Quod non hoc niteas praesule, maesta doles.
Motus siste tuos: nunquam sibi gaudia constant,
Et suus est lacrimis tristitiaeque modus.
Inductae coelo nubes Aquilone fugantur;
Mox sudum pluviis obruit Auster aquis.
Ingentes variant aestus tua pectora Várad;
An tua fors paribus pectora Rosnyo vacant?
Grataris sponso; ast alieno ferre dolore
Gaudia, quis, geminas, gaudia vera putet?
Parcite tam dubiis iactari fluctibus; almis
Haec superis pietas (credite) grata calet.
Digna polis cura est meritis decernere iustam
Mercedem: non hac vos caruisse volent.
Tempus erit, quo vos, decus immortale suorum,
Franciscus, patriae lege fideque pater,
Qui viduas gnavo solatur Daphnide caulas,
Nec vestras dura respuet aure preces.
Nittria dum caro gaudebit praesule, Quinque-
Ecclesiis pariter praesul amatus erit.
Alba cum duplici florens Rosnavia, Szatthmár
Gaudebunt, felix tu quoque Várad eris.

* * *

Iamque dies optata micat, tua nomina, Laicsák,
Pridem nota piis vocibus alta sonant.
Concurrunt cives, et quos sibi cernere vultus
Dulce fuit, rursum cernere dulcius est.
Atras post tenebras sic Phoebus gratior exit;
Gratior est pulso frigore verna dies.

Nec satis est vidisse semel, redeuntque, studentque
Nunc propius, praesul, quam prius, ire t i b i.
Quaeque sinu tacito pro t e pia vota latebant,
Agmine nunc denso coelica regna petunt.
Nullus adest, quem non capiat facundia lingvae,
Quem t u a non recreent lumina, nullus adest.
Nec magis ad reditum dilecti nata parentis,
Quam t u a laetatur praesule sponsa suo.
Agmen virtutum, queis fulges, quippe redire
Sentit, et illustres rite vibrare faces.
Miratur, sedeat t i b i quanta modestia fronte;
Quamlibet excelsi culmen honoris adis.
Quam mitis, placidus, quam summis gratus et imis!
Quam cunctis vere desideratus ades!
Gaudet nobilium t e fulgidus ordo virorum
Adfore iudicio consilioque sibi.
Gaudent assyrio decorati murice patres
T e socium quondam, nunc caput esse suum.
Gaudet ovatque pius clerus populusque fidelis,
Concipit et laeto votaque spesque sinu.
Praecipue gaudent viduae pupillus et omnis,
Queis t u a vita patens portus et ara fuit.
Scilicet his, mala dum vexabant sortis iniquae,
Semper erat princeps tendere cura manum.
O quoties nudos contexit, vulnere laesis
Auxilium praesens dextera vestra tulit!
O quoties lacrimis manantes tergere vultus,
Deciduosque solo promta levare fuit!
Quippe t u u m nunquam loculis servire, nec amplas
Divitias et opes accumulare fuit.
Ah! valeant, dixti, quos urget dira cupido,
Quamque alit argenti copia magna, sitis.
Merces illorum sit noxque diesque quietis
Expers: me miseris gaudia ferre iuvet.
Currite turba gemens, quam tristis torquet egestas,
En! mea currentes excipit aula pedes.
Vos, studiosa cohors, doctrinae et panis egena,
In primis celeri tendite adesse gradu.
Non ego vos patiar maestos de limine nostro
Cedere: spes patriae nempe fovere decet.

Haec tibi semper erat, praesul, mens, hic tibi sermo;
Hoc properas musis consuluisse modo.
Et bene. Musarum tantum monumenta perennant.
Id vere rutilat, quod venit inde decus.
Augusto decoris plus Flacci et musa Maronis,
Quam tituli, fasces, tuque triumphe, dabas.
Hi fugiunt fumo similes somnoque volucri;
Illorum semper fama superstes erit.
Talem te Várad, talem Rosnavia vidit;
Nunc alium, praesul, te fore forte putem?
Latius at medio diffundis Phoebe calores
Coelo: plus rivis flumina vasta tument.
Talem te iuvenem suspexit Leva, nec istis
Haec virtus tenebris pressa latebit, ait.
Iam veniet patrii spes cleri et gloria, Konde;
Et meritis, Laicsák, praemia digna feres.
Conchis gemma latet, praeruptis montibus aurum;
Illa tamen tenebris eruta sceptra tenent.
Augur erat verax: patriae nunc plausibus aequis
Leva etiam plausus iungere laeta cupit.

* * *

At tu iam tanto Varadinum praesule dives,
Quem tua (dic) noscent gaudia spesque modum?
Pax et amor, doctrina potens, clementia, candor
Ecce! tui stipant praesulis usque latus.
Tantae virtutes plena tibi luce refulgent:
Tempora, fors dubitas, fausta venire tibi?
Ter felix laetare! piasque ad sidera palmas,
Pectoris ardentis symbola grata, leva.
Et pete nestoreos pastori iugiter annos:
Et pietas haec te, praesul amate, iuvet.
Cumque tuos placido, praesul, dignabere vultu,
Fac Debrecinae sis Csáky Bakóque scholae.
Non minor hanc pietas ad te et reverentia ducit;
Non minus, ut manibus basia figat, avet.
Non minus exoptat iussis parere benignis;
Non minus exclamat: Vive valeque diu!

Elegia IV.

Ad Petrum KLOBUSICZKY *ordine Leopoldi imperatoris et munere coiudicis ad tabulam septemvirum ornatum 1827.*

Miraris, novus unde mihi t u a, m a x i m e P r a e s u l,
Nomina carminibus tollere fervor inest?
Et nova te exornant meritorum insignia, p r a e s u l
Et novus est, hodie qui t i b i surgit, honos.
Exultant proceres, applaudit patria, dignis
Dum c a e s a r statuit praemia iusta viris.
Annon laetitiae promant documenta camaenae,
Queis magnos meritis dulce sonare viros?
Et quisquam fuerat plus his t e iunctior alter,
Inque suo pretio, quale merentur, habet?
Non satis, his aures t e semper reddere blandas,
Non satis, ingenium percoluisse t u u m;
Sed facis, ut miserae pateant haec sacra iuventae:
Testis ades decies terna caterva mihi.
T u, quae munificae plus lustro munere dextrae
Ardens musarum limina docta subis.
Quod vivis, veraeque capis praecepta salutis,
Archi-praesuleo nonne favore venit?
Quippe probas factis, e x c e l l e n t i s s i m e p r a e s u l,
Artibus ingenuis stare perenne decus.
Nomen et aeternae hinc vivunt praeconia famae,
Hinc honor, hinc tituli gratiaque ampla fluit.
Quid? quod et innocuae producant germina vitae,
Et niveos mores iustitiamque fovent.
Idque t u o exemplo (nam cur aliena petamus?)
Dulce decus patriae deliciumque, patet.
Gloria t u cleri et priscae virtutis imago es,
Praesidium musis, relligionis amor.
Cum t e conspicimus divino ardore liquentem,
Dicimus: hic arsit pectore, Paule, tuo.
Quanta t i b i pietas, quum sacro percitus oestro,
Verba facis, vel quum mystica dona litas!
Quis vero largae celebrabit munera dextrae?
Quisve novum, praesul, nesciat esse Titum?

Qualem te Szatthmár, mirata Pisonia nuper
Tellus, te qualem grata Colocza videt.
Non arae non templa sonant tantummodo, vivo
Sed canit Irorum plurima turba sono.
Nec solum vicina domus tectumque locusque,
Sentit munificas dissita terra manus.
Quippe solent vitreo manantes gurgite rivi,
Et procul a proprio fonte levare sitim.
Omnia summa videt, quisquis te, praesul amate,
Conspicit, haec digne quis resonare queat?
Scilicet eloquio sic aufers pectora solo;
Tullius ut rapuit rostra forumque suo.
Inde tibi patriae communia promere vota
Venit honor summi principis ante thronum.
Contigit inde tibi patriae regisque benigni
Plausibus illustrem promicuisse diem.
Arsimus, et vario tumuerunt pectora motu,
Ad solium ut modico vidimus isse gradu.
Hic, mala dum carpis mordacis crimina linguae,
Protinus et nostra voce querela ruit.
Gaudia dum patriae patrum populique recenses,
Perfundunt nostros gaudia quanta sinus!
Augustae ut celebras reginae encomia, nostrum
Nemo, quin cuperet concelebrare, fuit.
At dum vota refers, flexo mox poplite cuncti
Ad pia votivas tendimus astra manus.
Dum ruis in laudes pro-regis pectore grato,
Num procerum pietas novit habere modum?
Denique qua vestrae flectit se gratia linguae,
Quamlibet absentum corque animumque rapit.
Cedite Cecropidum laudes, fora cedite Romae:
Hungara, quod iactet, non minus ora tulit.
Marcos atque Numas, Fabios numeratque Catones:
Hos inter primo lumine, Petre, micas.
Viderat haec nostri, Franciscus, gloria saecli,
Et lux, et vasti publicus orbis amor.
Petre, tuis, dixit, meritis mea gratia prona est;
Adspiret velis aura secunda tuis.
Nec mora: iamque novis decorantur stalla columnis;
Huic tituli, huic fulget pontificale decus.

Nec satis. En! rutilant Leopoldi insignia vestro
Pectore. Sic patriae te fovet usque pater.
Quin, tribus ante annis quod venit lumen honoris,
Ut sua diffundat fulgura, tempus adest.
Iungite vota meis ferventia, quisquis amore
Tam cari capitis corda liquata gerit.
Ecce tribunalis conscendit culmina summi,
Septem ubi circumdat clara corona virum.
Ut, qua iustitiae et candoris luce micabat,
Latius in patriae commoda certa vibret.
Felicem patriam! cuius si talia corpus
Membra regant, fugient tristia quaeque procul.
Felicem semper tanto sub praesule clerum,
Quemque regit tenero plenus amore gregem!
O praesul, meritis, titulis signisque decore!
Suscipe, quae toto pectore vota damus.
Astra tuis faveant precibus, votisque secundent,
Utque tua hic virtus sit diuturna, sinant!

Elegia V.

Ad Ignatium L. B. SZEPESSY *episcopum quinque-ecclesiensem, dioecesim suam canonice invisentem 1828.*

Nunc mea nunc solito divinius irruat oestrum
Pectora, par magnis magna sonare modis.
Non virides tantum, doctorum praemia, lauros
Cura vovere mihi est nestoreosque dies:
Altius ardemus calidis assurgere votis,
Illac, qua virtus templa verenda tenet.
Illuc te rutilans meritorum gloria vexit
Ignati, patriae luxque decusque tuae.
Si sinis ingrediar, mirantes quive moratur
Fulgorem, accedam quo licet usque pede.
Saepe mihi cari, qui te videre, sodales,
Atque alii, praesul, dicere saepe solent:
Si grandes patriae cordi est cecinisse columnas,
Sit musae princeps cura Szepessy tuae.

Praesulibus multis virtus quae sparsa relucet
Maxima, in hoc vires exerit illa suas.
Ardua sic cedrus platanos super eminet altas,
Sic rutilis vincis sidera, Phoebe, comis.
Quis dubitet famam plus aequo saepe disertam?
Illa tamen: lassant me t u a facta, refert.
Quamvis crebra volet celebrans t u a nomina, praesul
Usque dolet iusto se celebrare minus.
Aurea, qua excellis, prohibere modestia frustra
Nititur hanc: virtus est t u a nota nimis.
Quis late flammas poterit celare micantes?
Fulgura missa semel quis revocare queat?
Agria flevisti, flevisti Claudia, tantum
De gremio cernens sidus abire t u o.
Occiduum quamvis solem nox atra sequatur,
Non subito coeli luxque calorque fugit;
Quin manet, atque diu croceum mentita colorem
Caeruleum pingit lux, prius ampla, polum:
Munifice pariter renitent vestigia dextrae,
Praesul, ubi augusti sideris instar eras.
Quot viduae et miseri memorant mala sortis iniquae
Grandia supposita t e relevasse manu!
Templa quot atque arae, quot sacrorumque ministri
Tantae virtutis sunt monumenta t u a e!
Haec t e plus positis fumosa per atria ceris,
Plus genere atque alto stemmate quippe iuvant.
Quid tibi divitiae? quid opum congestus acervus?
Si gemat innumeris plebs pia pressa malis.
Sic animis maior mortalia temnere vota;
Aemula sic superis pectora ferre doces.
Haec t u a t e virtus dudum super astra locavit;
Quid reliquae? quarum tanta corona t i b i est.
Non adeo vario distincta est Flora colore,
Non adeo varius per iuga vernat odor:
Quam t e virtutum decorant insignia, praesul,
O amor! o sacri spesque salusque gregis!
T e cognata polis pietas defigere coelo
Divinoque frequens pascere nectare amat.
T e semper ratio nunquam fortuna gubernat,
Huius t e tutum vela secunda vehunt.

Quis te candidior, quis te clementior alter?
Quis te iustitia (dic age) maior erat.
Non tituli faciunt non vani murmura vulgi
Felicem, virtus te tua sola beat.
At quo musarum, praesul, tenearis amore,
Scribere vix digne magnus Apollo sciat.
En! nitidae serpunt circum tua tempora lauri,
Quas nivea vinxit Pallas amica manu.
Nimirum vigiles soli confundere lunas
Viderat, et multa sedulitate gravem.
Sicut apes aestate nova per florea rura
Errantes, pura luce, tenere solet
Te labor assiduus, facies non una laboris
Pulpitibus figit nocte, dieque tuis.
Inde thymi tua scripta tument fragantis odore,
Ingenii inde tui flumina vasta fluunt.
Consilium res sacra tuum cupiatque profana;
Num, quem non valeas solvere, nodus erit?
Ut cunctos doctae mulcet facundia linguae!
Ignibus ut sacris percita corda rapis!
Felices nimium praeclaro hoc praesule Quinque-
Ecclesiae, patriis urbs celebrata plagis!
Tanta tibi virtus posthac sua lumina vibrat,
An non laetitiae mella cupita legis?
Aspicis, affectu quo pastor ovilia curet?
Aspicis, ut cunctas noscere poscat oves?
Paks, Szekszárd, Tolna ac quaevis contermina tellus
Virtutis rarae pignora grata sonant.
Et grege cum laeto pro caro praesule coelis;
Ignatîi fausta luce micante litant.

Elegia VI.

Ad Petrum KLOBUSICZKY, *quum in prima Grammaticae schola ab eo munifice fundata institutio inchoaretur 1828.*

Stat schola Grammaticae primae, portumque salutant
Vota, diu variis fluctibus acta, suum.
Ecce ferunt dulces dulcissima pignora matres,
Ora madent lacrimis, sed tamen usque ferunt.
Eia bonae matres, curarum nube fugata,
Promto cum natis huc properate gradu.
Ille decus patriae, sidus teramabile cleri,
Lux generis, procerum gloria, regis amor.
Ille Petrus merito Klobusiczky in culmine fulgens,
Ipse fovet placido pignora vestra sinu.
Non satis huic nudis depellere frigora membris,
Munificaque dapes suppeditare manu.
Non satis huic doctas patienter adire palaestras,
Atque animis vivas subdere voce faces:
Vult etiam, curatque simul, quo germine primo
Uberior veniat rite locata seges.
Quippe memor: quidquid mirantes mole moratur,
Exiguo quondam nata fuisse loco.
Sic quercus virides praebens recubantibus umbras,
Credita dum terrae est, virga tenella fuit.
Quodque graves flumen tumido fert tergore malos,
Rupe sub ingenti quid? nisi rivus erat.
Te Maecenatem tantum, aspice, maxime praesul,
Sacra cohors musis qua pietate colat?
En! supplex, pia vota ferens, procumbit ad aras,
Et pro te, praesul, thura precesque litat.
„Alme Pater, (resonans) cui sunt mortalia curae,
Respicis? erectas tendimus ecce manus.
Delicium hoc populi, miserorum grande levamen,
Et nostrae dulcem spemque patremque scholae,
Nestoreos salvum, petimus, fac vivere soles,
Innumeris cum illo stat sociata salus.“
Tu vero iustas, excellentissime praesul,
Atque ratas superis suscipe, quaeso, preces.

Quodque facis, refove iuvenes iuvenumque magistros,
Qui tibi devotum corque caputque dicant.
Ardua de rigido nil perdit vertice rupes,
Si tenuis vitam sub pede muscus agat.
Nec minus est patulae non ultima gloria fagi,
Quod corylos humiles brachia lata tegant.
Ipse quidem, meritis fastigia summa tenentes,
Vix alio credam crescere posse modo:
Augustos quam si norint submittere fasces,
Nec despecta illis parva myrica gemat.
Quis neget insignem titulis signisque decorum
Sublimi dignum te renitere loco?
Quaeque geris, praesul, mansuris fulgida fastis
Aeternos certo posse videre dies.
Grandia saepe tamen propria quia mole laborant;
Certior ex parvis famaque lausque venit.
Dum ruit et rauco desaevit murmure torrens,
Nonne redundantis fluminis unda nocet?
At molli trepidans constanter lympha susurro,
Ut plena reseces gramina falce, facit.
Et tibi, qui recreas musarum tecta favore,
Amplior e Pindi culmine fama volat.
Ut crescent pueri, crescent tua nomina, praesul,
Et Maecenatis symbola pulchra geres.
Ut crescent pueri, crescent suspiria pro te,
Nec deerunt aris mystica dona piis.

Elegia VII.

Ad Paulum SZUTSITS *in episcopatum albaregalensem sollemniter introductum 1828.*

Vota gregis vidui superos tetigisse videntur;
Albam conspicuo praesule namque beant.
Fleverat illa duos, virtutum fulgure plenos,
E gremio vivos cedere quippe suo.

Et lacrimis mulcens crudelem saepe dolorem,
Dicitur haec tremulo verba dedisse sono:
„Quando erit illa dies, qua maestam praesul amatus,
Et iam bis viduam me recreare queat?
Crescentes reparant menses dispendia lunae,
Ver revocat, quidquid torva fugarat hiems.
Me lacrimae gemitusque tenent, dubiisque labantem
Vix melioris spes temporis aegra levat.“
Desine, dum moneo, tristes iterare querelas:
Tu quoque, nil dubita, cura benigna poli es.
Saepe quidem iustos exercet dextera coeli:
Pronior at meritis praemia larga parat.
Quaeque tibi dederat maiestas regia nomen,
Forsitan, Alba, queat non memor esse tui?
At iam fama loquax urbes rumore secundo
Complet, et exultans gaudia vestra sonat.
Divorum tumuli regum manesque sacrati,
Quos coluit patriae Pannonis ora patrum;
Albaque tu patriis quondam celeberrima fastis
Concipite ardenti gaudia spesque sinu!
Ecce! Szutsits vobis antistes munere divum
Et pulchro placidi regis amore venit.
Roma favet votis fortunae conscia vestrae,
Vosque simul tantum gaudet habere patrem.
Nec mora: lux patriae, et devoti gloria cleri,
En! Klobusiczky Albae splendida templa subit.
Hinc latus atque illinc rutilantia sidera regni
Et cleri stipant fulcra: Kopácsy, Vurum.
Iamque Szutsits bifidae submittit tempora mitrae,
Fertque pedum sacra pontificale manu.
Ungitur, et patulo divinos percipit ignes
Pectore, quos late lumina tanta vibrant.
Atque aliquis, pacis dum conspicit oscula et almos
Complexus, tales edidit ore sonos:
Sic Petrus Paulum complexu fovit amato.
(Nominibus magnis saepius omen inest).

* * *

Sed iam, votorum fuerat quae summa tuorum,
Verna dies puro spargit ab axe faces.
Ut stabili carae societur foedere sponsae
Ostro sublimis iam tibi praesul adest.
Aspicis, ut gressu cives properante laborent
Cernere pastoris cominus ora sui?
Pars genus et ceras memorant et grandia avorum
Facta, quibus venit nobilitatis honos.
Hic Lucam proavum, geminos sonat ille Iacobos,
Quorum alter nato hoc praesule dignus erat.
Est aliis curae fratrem monstrare Iosephum,
Eximias comitis qui gerit usque vices.
Sunt quoque natalem dignis qui laudibus ornent,
Cui dederas nomen magna Theresa, locum.
Haec teneant alios: nos virtus, Paule, moretur,
Quae vestro, praesul, pectore multa micat.
Fallor? an ingenuo pingi tua labra pudore
Et niveas video dulce rubere genas?
Quippe volet meritas vitare modestia laudes;
Sat quas iudicio promeruisse tuo est.
Ipse pater patriae si quas ornatque probatque
Candida virtutes musa latere vetat.
Quis nescit sacris cultum studiisque profanis,
Quamque tenor vitae sit sine labe tuae?
Relligionis amor, pietatis sedula cura,
An tibi non semper duxque comesque fuit?
Quam comis, facilis, quam fastus nescius omnis,
Quam iusti cultor propositique tenax?
Agria cum Colocza, Pestinum, magna Vienna
Te talem musis excoluere suis.
Ter te felicem pastore Csatália, Bukkin,
Atque Karánkova se nunc quoque grata refert.
Praecipue natale solum, cui sideris instar
Dudum fulgetis tuque genusque tuum.
Quid Paulum, Stephanum referam? quid Maxmilianum,
Insignes patriae, Marte probante, viros?

Nobilitas solis non est memorabilis armis,
Hanc quoque maiestas relligionis alit.
Idque doces praesul, cui magnis sacra triumphis,
Tot meritorum index, infula maior erit.
Hanc Colocae tyrio decorati murice patres,
(Queis socius fueras, deliciaeque prius,
Quive suae causae te gnavo saepius usi
Legato) gaudent fronte sedere tua.
Tu quoque grex, tanti pastoris ocelle deinceps,
Laetitiae promis pignora iure tuae.
Aurea quippe tibi renovari tempora cernis,
Cernis pastorem spes superare tuas.
Vidi ego, munificae dum deessent munera dextrae,
Non minus, atque novum condoluisse Titum.
Multis purpureos, vidi, sua gaudia, flores,
Symbola doctrinae proposuisse piae.
Quam varii, dixit, quam grati saepe coloris!
At, qui sic potuit condere, qualis erit!
Tot genera, et miras diverso in germine vires,
Cuius conservat dextera, quantus erit!
O! age, iungamus ferventia pectora votis:
Exorant dominos vota precesque Deos.
Antistes pylios, clamemus, vive per annos!
Virtutes resonent tempora cuncta tuas!

Elegia VIII.

Ad Alexandrum ALAGOVICH *antistitem zagrabiensem per Petrum Klobusiczky archiepiscopum colocensem, adsistentibus Iosepho Vurum nittriensi et Paulo Szutsits albaregalensi episcopis Colocae consecratum 1830.*

Erige squallentes tantisper Colocza vultus,
Pone modum lacrimis, laetitiamque fove.
Saepe quidem iustos celsi moderator olympi,
Praemia quo cumulet fertiliora, premit:

Attamen in medio iactatis turbine nunquam,
Quominus adproperet dextra benigna, sinit.
Sic placidis ventis torrentes temperat aestus;
Frigora sic verno sole molesta fugat.
Et tibi, cui titubant ingenti pectora motu,
Et video maestas imbre madere genas,
Fas est laetitia tandem diducere frontem,
Et, quo celsa beant astra favore, frui.
Ecce tuos siccat lacrimarum a flumine vultus,
Nomine quem patris iure vocare soles.
Nec satis: hem! solito maior tibi pompa renidet,
Ista quidem attonitam, quo remoretur, habet.
Eia, age, lustremus, quaeque hac venit ampla, coronam
Pontificum mecum, me praeeunte, vide.

* * *

Qui venit a dextris, hoc Nittria praesule gaudet:
At quam purpureas halat ab ore rosas!
Ut frons tergemino praecellit docta tiara!
Ut micat ignea mens palladiumque caput!
Iustinianeo cui numine pectora turgent,
Assidet et legum iustitiaeque rigor;
Consiliumque potens et mitis gratia linguae,
In superos pietas in patriamque fides;
Qui vigil intendit curandis moribus Argus:
Annon hunc merito rexque Deusque probant?
Nittria, nil mirum est, tenerum quem fovit alumnum,
Ex ulnis rapuit si Alba Varadque tuis.
Et nunc excelsas virtutes suspicit eius,
Fervida proque suo praesule vota litat.
O nostris salve gratissime sedibus hospes!
Astra probent, pietas quae tibi nostra vovet.

* * *

Hic, quis sit, quem laeta vides stipare sinistram,
Quid memorem? notum sat reor esse tibi
Dotibus ille suis virtuteque splendidus omni,
Emeruit mitras, Alba decora, tuas.

Nunc (ut fama canit) summis percarus et imis,
Insigni sacram dirigit arte ratem.
Aspicis? in tanto sit quamvis culmine, nulla,
Bella prius facies, condita nube latet.
Suavis, ut ante fuit, pressisque accurrere promptus,
Fundit mellitos, ut prius, ore sonos.
Rara quidem virtus; verum quo rarior illa est,
Amplior inde tibi gloria, Paule, venit
Et quisquam dubitet musis quoque vivere carum,
Queis placidam largus tendere gaudet opem?
Iamque vides, cur huic nova rursum gratia crescat,
Plus quoque cur tribuant, quam sua vota, poli.

* * *

Qui medius graditur, canis venerabilis annis,
Non minor excelsis eminet ecce! viris.
Ille tulit nobis praesentia gaudia secum,
Ille caput pompae materiemque dedit.
Haud erit ignotus tibi; quem iam patria magnum
Et Culpae et Dravi noscit utrumque latus.
Quin talem recolit Pesthinum, Buda, Vienna,
Et fora consiliis, apta theatra, bonis.
Talem tu quondam, qua membrum, Nittria nosti:
Seu doceat cleri germina, sive regat.
Tali exultabat plaudens pastore Galantha,
Istripolisque amplis urbs celebrata viris.
Iamque diu talem mirata Zagrabia, summo
Praesule nunc tali iure superba suo est.
Praesule, cui pariter iam publica sarcina rerum
Illyrii fausta credita luce fuit.
Dulcis Alexander, pastorum insignia sumens,
Candida devoti suscipe vota gregis.
Annos ille tibi (namque a te cetera sumes)
Flagitat et laetos, axe favente, dies.
Novit enim: nitidae cui circum tempora lauri
Docta virent, musis semper amicus erit.
Quique erat a teneris nulli pietate secundus,
Dicetur digno nomine forma gregis.
Cuius cura pias aras et templa locarat
Iam prius, illius dextera larga manet.

* * *

Pone subit Petrus, meritis signisque decorus,
Conspicuus titulis, muneribusque gravis.
Anne vides? quanto pietatis ferveat aestu,
Ut trahat exemplo singula corda suo?
Ipse licet sileam, sentis, o Colocza, sentis
Propitias tanto praesule nonne vices?
Ille decus patriae, pastorum gloria, cleri
Fulcrum, virtutum symbolon, artis amor;
Borromeus vita, sermone Chrysostomus alter,
Munifico dudum notior usque Tito:
Ille subit, raram illustrans, ceu gemma, coronam,
Dumque subit tacito gaudia corde fovet.
Pastores viduis laetatur ovilibus ille
Quippe dari, insignes relligione viros.
Se quoque laetatur, divina lege, ministros
Addicto coelis posse parare gregi.

* * *

Sed iam res agitur. Cupidis spectemus ocellis,
Nostraque sint precibus congrua vota piis.
Praesulibus cinctum spectans procedere, Paulum
Cingi utrinque Tito Timotheoque putes.
Aemula namque illis vivit sub pectore virtus,
Parque Dei et sanctae relligionis amor.
Adstat Alexander, quo sacros hauriat ignes,
Quove triplex Elias migret in Eliseum.
Oscula delibant capiti, quod praesulis ingens
Iam deinceps rerum cura laborque premet.
Ungitur et domino, gratum quo spiret odorem,
Sive preces fundat, sive resumat opus.
Accipit et mitras: en! quam bene vertice eodem
Mitra cum bifida laurus odora sedet!
Moxque pedo ornatur, quo tristia quaeque fugabit,
Quae sacrum valeant commaculare gregem.
Denique vota sonant: multos ut vivat in annos.
O rutilis utinam sint rata vota polis!

Elegia IX.

Piis manibus Alexandri RUDNAY *cardinalis presbyteri, principis Primatis regni Hungariae et archi-episcopi strigoniensis dicata 1831.*

Hunnia iure gemis pullos induta colores,
Accusans duram, saucia corde, vicem.
Iure oneras querulis patrias ululatibus auras,
Et summi repetis nomina cara viri.
At tu maiori cunctis confecta dolore
Istrograni sacris urbs speciosa iugis,
Dic, age, quando tuo iustus de pectore maeror
Excidet, aut lacrimis num modus ullus erit?
Quaeris Alexandrum, sidus commune; sed eheu!
Astra negant oculis condita nube tuis.
Per montes, per saxa viri notissima clamas
Nomina: quid montes saxaque maesta? silent.
Insolitis grandem miraris fluctibus Istrum?
Scilicet a madidis haec tumet unda genis.
Quacunque aspicias, funesti signa doloris
Et gemitu et lacrimis corda sepulta vides.
Utque vides, trepidas reples plangoribus oras;
Quippe novus cruciat pectora vestra dolor.
Hinc proceres lugent, hinc plangit nobilis ordo,
Undique plebs, civis, patria tota dolent.
Tu quoque musa gemens lugubres solve capillos;
Non decet hac fronti nectere serte die.
Quodque decet, tristis tristem si accesseris urnam,
Dulcis Alexandri quae pia busta fovet;
Flebilis, exclama, te nobis casus ademit,
O decus! o patriae prima columna tuae!
Quando erit illa dies, quae tanta luce coruscet,
Quantam nox atro continet ista sinu!
Purpura quos ornat, iacet en! pars magna Quiritum;
Iacturam sentis tu quoque Roma gravem.
Sacrorum columen, patriae lux, gloria cleri
Occidit et fidi spesque salusque gregis.

Illa decens facies glaciali funere pallet,
Eximiis nuper conspicienda rosis.
Lingua riget, sacros accendere docta calores,
Iuribus et patriis inclyta lingua riget.
Nec celeres mandata Dei decurrere posthac
Adsvetum properant munus obire pedes.
Te quoque magnanimum, divini dulcis amoris
Sedes, perpetuum cor premit usque gelu.
Non emollescis fletu lacrimisque precantum,
Tam pronum certam tendere semper opem.
Nec iam multiplici, ut quondam fervore calescis,
Si coeli aut patriae publica causa vocet.
Siccine (turpe nefas!) quae nil mortale movebant,
Eripis obscura trux Libitina manu?
Non pietas, non cana fides, non maxima virtus,
Non studium iusti factaque summa vetant?
At pupillorum ductas ad sidera palmas
Aspice, quid superos supplice voce petant?
His pater ille fuit nunquam non sortis iniquae
Propitia mulcens vulnera dira manu.
Et doctae exorant divinae Palladis artes,
Gloria queis tanto vindice tuta stetit.
Patria tota rogat, cui sidus amabile vita,
Excelsis meritis consiliisque fuit.
Si nil tot gemitus, nil tot lamenta, querelae,
Si nil vota, preces, queis movearis, habent:
Strigonii patulo surgentem vertice molem,
Numinis aeterni splendida tecta, vide.
Orba suo fautore gravique exterrita casu
Squallentem metuunt saxa decora situm.
Effigies pallet (luctum sentire putares)
Ut primum decoret, rite parata, locum.
Necquidquam! negat orari lex ferrea mortis,
Rudnay, Pannonidum gloria luxque iaces!
Eheu! quem tituli, quem nomina celsa iuvabunt?
Scilicet haec pariter certa ruina manet.
Fallere, quisquis opes, quisquis venaris honores;
Si te virtuti cura sacrata fugit.
Marmora corrodit, quantumvis dura, vetustas,
Aerea signa licet, sed peritura, struis.

Virtus, vel nihil, est, quod reddat, credc, beatum;
Hac sine vita hominis quid? nisi fumus erit.
Haec te sublimi vectabat, Rudnay, curru,
Haec rutilis gaudet te inseruisse choris.
O! age flecte oculos, et flentes respice, quorum
Astra tui similem fervida vota rogant.
Non quemquam fasti potius, non saxa loquentur
Magnum, quam patriae talia vota suae.

Elegia X.

Ad Ioannem HORVÁTH *munus episcopi albaregalensis auspicantem 1832.*

Te lugere ferant alii, maestamque dolore
Ambiguos memorent, Alba, videre dies.
Suspirent blandam toties te cernere lucem,
Quam subito facies noctis opaca premit.
Ancora vix certo steterat tua litore, dicant,
Anxia mox dubius carbasa fluctus agit.
Ast ego sublimi iubeo te incedere gressu:
Quo palmas aliis eripis, una potes.
Te iuvet aestivos imitari sorte calores,
Qui matura coquunt poma legenda sinu.
Laurum, conspicua vireat quae fronte, paratam
Cingere laus certe est, quam meruisse, minor.
Laus meruisse tibi propria est: en! gloria triplex
Porrigit hinc nivea debita serta manu.
Nittria, Veszprimium, Diakóvár praesule laeti
Te grato memorant saepius, Alba, sono.
Quippe tui cura pastores usque subactos
Nunc proprio gaudent invigilare gregi.
Sic non queis nata est spirat modo nardus odorem
Terris; ast recreat dissita saepe loca:
Iure tamen tali quae germine terra beata est,
Inter felices adnumeranda plagas.

Tu fortunatis pariter censebere in oris,
Quae gregibus viduis gaudia certa paras.
Interea superi, meritis qui rite locatis
Decernunt larga praemia iusta manu:
Te toties orbam tacito languere dolore,
Nec gemitus imo corde ciere sinunt.
Nempe novo properant rursum pastore beare,
Et gremii renovant iubila multa tui.
Forte vices variare piget? nec tempora veris
Usque adeo grati fixa manere solent.
Nec iuvene indignum varios superare labores,
Ut quondam numeret parta tropaea senex.
Aspice in amplexus praesul quis tendat anhelos?
Aurea quis flagret lustra parare tibi?
Ille est, multiplici praecinctus tempora serto,
Summis Pannonidum parque decusque viris.
Quem Themis excelsis decoratum dotibus aequo
Sanxerat in primis iure sedere foris.
Patria quem magnum suada ut mirata magistrum est,
Esse suum cupiunt pulpita sacra caput.
Nec mora: pestanas fertur celebratus in oras,
Argus ut adcuret relligionis opus.
Praecipue sacros quae formet cura ministros,
Quaeve paret, videat, pectora fida polis.
Tum vero surgunt laudum monumenta novarum,
Et magis eloquii visque nitorque patet.
Eloquii, quo si divinos evibret ignes,
Ambrosia cathedras voce sonare putes.
Si patriae, si regis amor dicentis ab ore
Emicet, ima subit protinus ossa calor.
Veszprimium mihi testis eris, vicinaque tellus,
Nunc quoque, facundo quae tulit ore, memor.
Testis Pisonum patriis urbs inclyta fastis,
Concilio patrum nobilitata sacro.
Haec ubi Danubii per ripas Buda virentes
Audiit, aethereis Buda superba iugis:
At mihi non fulgent, Horváth quos prendat, honores,
Non tituli, queis sit conspiciendus, ait.
Desit honor stimulans, virtus ingloria languet;
Adsit honor, multa luce corusca micat.

Iamque tenet vigilem series vastissima rerum,
Quae petit ingenium consiliumque sagax.
Ille potens durat, viresque a pondere sumens
Amplior in patriam consulit inde suam.
Scilicet et Titan removet rutilantior umbras,
Si medio coeli vertice carpat iter.
Munificosque magis largo fulgore calores
Diffundit, summi vectus in axe poli.
Quis non hic vidit? mox alta Vienna vocabit
Insignem tanta dexteritate virum.
Quippe graves (novit) sollertia pectora curae
Exacuunt: curas nobile pectus amat.
Poscitur: in coetu iam nunc velut arbiter alto
(Sic veniunt meritis munera digna) sedet.
Nestora censeres prima illic sede locatum,
Aut quae maiestas fronte Catonis erat.
Haec inter sacris rex servantissimus aequi
Daphnidibus viduos providet ipse greges.
Viderat Alba tibi passos fluitare capillos,
Et carum tremula voce vocare Szutsits:
Exue maestitiam dixit, spes concipe tutas,
Horváth, qui tristem te recreabit, erit.
O quae musa mihi memorabit, gaudia cordi
Haec patriae patris quanta dedere tuo!
Cuius virtutes dudum celebrare solebas,
Amplecti hunc patrem quid? nisi dulce tibi est.
Iam tua tecta subit, iam scandit culmen honoris,
Qua placidos gressus cura laborque praeit.
Infula fronte sedet, pendent insignia collo,
Pontificale premit dextra verenda pedum.
Nil mortale vides: formosa modestia vultum
Inter vernantes occupat ecce! rosas.
Ora movet grandes moderans vigilantia curas,
Et niveum sancto pectus ab igne calet.
Eia! triumphali plaudens praecingere lauro,
Et solito frontem celsius, Alba, leva.
Officiisque piis certa, votisque remistas
Spes, animi testes, voce sonante refer:

Hoc Pastore mei manabunt nectare rivi,
Nec lupus in nostras horridus ibit oves.
Aurea lustra fluent: pylios modo vivat in annos.
Sint utinam votis astra benigna meis!

Elegia XI.

Eucharisticon Petro KLOBUSICZKY *nomine I. Grammaticae ab eo fundatae ipso divi tuteluris die oblatum 1839.*

Turba tenella veni, plaususque remisce camenae:
Non magis hic musae, quam tua causa subest.
Sors tua pressa diu, dubia mox vecta carina
Litoris optati gaudia certa legit.
Obvius hic properat Maecenas praesul eidem,
Ille decus sacri deliciumque gregis
Nec mora: laetantem placidis complectitur ulnis:
Quasque vices tulerit, quid veniatve, rogat.
Utque maris scopulosque refert et monstra patentis,
Et quas sustinuit quas timuitque minas;
Ut memorat, quonam sit vitam munere pacta,
Victima ne ventis aequoribusque cadat:
Protinus ambiguo solvens de pectore curas;
Nostra (animos revoca) sarcina, dicit, eris.
Ecce, meo nutu, patrum te cura piorum
Suscipit, et cari pignoris instar habet.
Inseret illa tuis animis cum germine recti
Quod patriae et summi numinis urget amor.
Mox te per salebras studiorum sedula ducet,
Doctrinae ut veniat messis opima tibi.
Quondam etiam tituli clarique sequentur honores,
Exsurgetque boni nominis inde decus.
Quin, opibus cunctis potior, mens conscia recti
Inde comes vitae fida futura tuae est.
At tu, siqua tibi est mansurae cura salutis,
Fac, praecepta avida quaelibet aure bibas.

Quae placidis pandit Zephyris sua lintea puppis,
Laetior inceptum per mare currit iter.
Et nisi cum multo tibi fenore credita reddet
Semina, qui sulcis rite recepit ager.
Non minus et vitae florentis inania temne
Gaudia, blanditiis insidiosa suis.
Siqua fuit virtus, mihi crede, per aspera crevit:
Quae venit e trivio gloria, nulla venit.
Roma potens rerum Martis per acuta cruenti
Sustulit e terris ambitiosa caput.
Auro quid melius? tenebris tamen haeret opacis,
Ni vocet in cupidas arsque laborque manus.
Interea ad superos tua semper vota ferantur:
Hic fuerint rebus portus et ara tuis.
Virtus (nec dubites) imis defixa medullis
Sola beat: vanum est hac sine quidquid amas.
Haec tibi Maecenas: et adhuc tua pectora torpent?
Et nec adhuc columen dulce decusque vocas?
O age! qua pietas, qua grati pectoris aestus
Te rapit, impigros dirige sponte pedes.
Nec superesse puto, quod praestes, maius: et ipse
Nil, quod te potius solvere poscat, habet.
Neu pudeat modicae, crepitet qua munus, acerrae,
Nescio quae parvis gratia rebus inest.
Parva quidem gemmis est moles; quis tamen illas
Magna suo pretio vincere saxa neget?
Quid minus est viola? quia gratos halat odores,
Emeruit verni temporis esse decus.
Debita si pietas vires superare videtur,
Adde, quod in magnis sit voluisse satis.
Forsan ab exemplis pietas tua laetior ardet?
Amplior haud usquam suppetit ista seges.
Hic sacras aedes, hic carae fronte nitorem
Eximium sponsae, splendida dona, vides?
Munificae monumenta manus sunt, praesule Petro
Digna, nec occiduo praeteritura die.
Cernis et innumeros hic sicco lumine stantes?
His mala cum lacrimis qui abstulit, ille fuit.
Hos Ister laribus spoliarat, Mulciber illos:
Pars litat haec gratis non minus illa focis.

Nempe horum pariter sortem miseratus iniquam,
Ille novus miseris ceu Proculeius erat.
En hic turba minor carisque parentibus orba!
Quaerito, cur eius fronte recessit hiems?
Cur solitae maesto non turgent ore querelae?
Cur animo luctus, corpore languor abest?
Petrus, amor noster, dicet, praesulque paterque:
Innubes nobis reddidit ipse dies.
Haec ubi, sacra cohors musis, audisque, videsque,
Quid prohibet grato te sociare choro?
Audio (nec ludunt me somnia vana) calentis
Pectoris erumpunt fervida vota tui.
Praesulis haec magnum resonant nomenque decusque:
Nec pietas pronis displicet ista polis.
Qua pylios cumulas devoto pectore soles:
En! pylios felix exigit ille dies.
Nominis et famae qua velles ire triumphos:
Praevaluit votis gloria sponte tuis.
Lustra beata voves: iam bis tria quid? nisi semper
Aurea sub tanto praesule lustra fluunt.
Qua licet usque pios iaculeris pectoris ignes,
Qualibet hos superis cura praeire fuit.
Prona venit superum sic illi gratia, cuius
Coelicolis tota mens pietate vacat.
O tantis praesul meritis decorate, Deoque
Et regi ac patriae Nestor amate tuae!
Conscia virtuti ac meritis quis pectora sensus
Mulcet? quae fuerint praemia digna tibi?
Praemia digna parat coelum tibi: at illa reposce
Serius, et terris luce faveto tua.
Sic pastore sacer grex, sic laetabitur Irus
Tito, sic pietas relligioque Numa.
Interea memoris succrescet musa iuventae,
Et ruet in laudes officiosa tuas.
Quaque tuis tituli meritis et marmora stabunt,
In partes veniet non minor illa pias.

Elegia XII.

Honoribus Francisci SZANISZLÓ *munus episcopi magno-varadinensis latini ritus sollemniter auspicantis 1851.*

Eia chelys, tandem diuturna silentia rumpe!
Non facit ad laetum muta camena diem.
Illius (bene scis) tenero mulcemur amore,
Cuius festa tibi lux celebranda micat.
Nec nescis, laurum tibi me vovisse; sed olim
Ut pia conspicui praesulis acta canas.
Vota valent: faustis resonat clangoribus aether,
Qua superis Várad thura precesque litat.
Quippe novum multa toties pietate vocatum
En! sua pastorem tecta subire videt.
Quam multos et quam merito hic sua lucra morantur!
Candida quam multis praesulis ora placent!
Haec alios virtus capiat nos una, Szaniszló,
Quae tibi perpetuo foedere iuncta manet.
Haec comes it puero, fidum quoque nutrit alumnum,
Fert et inoffenso per decus omne gradu.
Huius in obsequiis, doctorum praemia, lauri
Emeritae circum tempora vestra virent.
Hanc coluisse fuit curarum prima per omnes,
Qui tibi fluxerunt, nec sine sole, dies.
Et bene: quid vita est? tellus nisi sentibus horrens,
Siquam virtutis destituisset amor;
Et mare convulsum ventis rapidisque procellis,
Pax ubi nulla, quies nulla, nec ulla salus.
Ter felix stabili hanc sibi qui sociavit amore,
Hunc similem dicam, praesul amate, tui.
Hac duce tanta tuae surgunt praeconia famae,
Publicus et meritis hac duce crescit honos.
Hac duce magnanimus devincis dura laborum,
Ausa truci facilem fronte negare viam.
Hac duce praesulei conscendis culmen honoris,
Latius ut sacras lux tua spargat opes.
Iure pias tollis Varadinum ad sidera palmas,
Te superum larga sic recreante manu.

Namque tibi, dudum patrias illustre per oras,
Prae reliquis posthac fulget ab axe iubar.
Saepius aurifluo felix pendebis ab ore,
Attonitas oculi rore rigante genas.
Saepius hic, dices, divino percitus oestro,
Hic revehit priscam cum pietate fidem!
Nestora consilio mirabere, munere Titum,
Ambrosium suada vocis, amore Pium.
Per mare, per scopulos, per mille pericula vitae,
Tuta coronata litora puppe legens,
Aurea sub tanto numerabis praesule lustra,
Et dabis erectis thura cremanda focis.
Haec fore musa mihi quondam praedixerat, amplo
Fulgure virtutis, vir bone, capta tuae.
Seu sacra dispensas coelestis semina vitae,
Ditatura sua fertilitate polos;
Sive potens animos facundo numine ducis,
Qua patet aethereae semita certa domus.
Nec satis hoc studio speratam urgere salutem,
Ni lucra coelicolis tempus in omne feras.
Inde tibi exsurgunt sacri monumenta laboris,
Saepe terenda manu, corde fovenda pio.
Haec iuvenes volvunt, haec volvit tarda senectus,
Omnibus haec studii larga sementis adest.
Atque utinam, vivax qui spiritus ardet in iisdem,
Mentibus in cunctis irrequietus agat!
Alma reflorescet late pietasque fidesque,
Ipsa suo virtus stabit amata loco.
At, quae musa gemat memorando carmine luctum
Urbs pestana tuum, patria sive tuum?
Ut quondam ille pio communia damna gemebat
Ore, ciens lacrimas, maestaque corda levans.
Luximus orbatam patriam patre, luximus omnes
Metropolim in praedam fluctibus ire feris:
Qui gemitus dignos, qui congrua verba dolori
Immenso invenit, nonne Szaniszlo fuit?
Ille fuit; quem iusta dehinc sublimibus alis
Gloria per terras et super astra vehit.
Nec mora purpurei meritum comitantur honores,
Et locat excelso publica cura foro.

Hinc velut educta prudens speculator ab arce,
Ad tua, relligio, commoda totus agit.
Scilicet haec potis est, aut nil, mortalibus aegris
Temporibus cunctis ferre salutis opem.
Hac sine quid tituli? quid avorum nomina prosunt?
Quid fundi attalicis censibus usque pares?
Nusquam tuta salus, seu celsa palatia lustres,
Sive humiles subeas, rustica tecta, casas.
Hac sine quod sceptris decus est, splendorque coronis?
Qualis honos aris, iustitiaeque foris?
Excutit iniectos damnosa licentia frenos,
Spreta iacet pietas, regnat ubique scelus.
Hac sine cum dominis terras populosque potentes,
Credite mortales, certa ruina manet.
Huius amor, praesul, toto tibi pectore fixus
Urget inaccessa fortiter ire via.
Et dum prima regis selecti germina cleri,
Nobilis exemplo duxque comesque tuo;
Et dum iam meritos linguae virtute disertae
Legis pastores, officiique mones.
Ac veluti blando Zephyrorum flamine passim
Et nemori et campis vita vigorque redit:
Capta tuis monitis, praesul, sic pectora fervor
Devota superis cum pietate subit.
Sint rata vota Deo, sint et praecepta salutis,
Queis hominum generi consuluisse studes:
Quae facies regnis! quis honor revocabitur aris!
Quid? nisi pax terras, prosperitasque colet!
Deliciae populi et votorum meta piorum,
Sedibus ecce tuis! pastor amatus ades.
Spargite humum pueri violis, hilaresque puellae,
Et rosa sub pedibus consita sternat iter.
At tu vota gregis, praesul, sacrique senatus,
Et musam hanc teneri pignus amoris habe!

Elegia XIII.

Honoribus Emerici FARKAS *dum munus episcopi albaregalensis sollemniter adiret 1851.*

Alba fave, patriis dudum celeberrima fastis,
Nostra tuam gestit musa sonare diem.
Gaudia, quae votis toties precibusque vocabas,
Velis en! tumidis aura secunda vehit.
Ille tibi teneris Emericus carus ab annis
Praesulei tandem culmen honoris adit.
Siqua dies luxit niveo signanda lapillo,
Haec tibi prae reliquis iure notata manet.
Hinc meritos, dices, meritis constare triumphos,
Virtutemque suo rite sedere loco.
Hinc, quidnam fuerint saturnia tempora, disces,
Tempora non ullo non memoranda die.
Per quas praesuleae virtutis fulserit astrum,
Hinc veniet faciles impetus ire vias.
Hic, mihi crede, favor superum est: age, mitte timorem,
Nec iuvet adflictas commemorare vices.
Quae tibi vis Martis lacrimoso fixerat ausu,
Et quae Vulcani vulnera saeva furor;
Proxima quaeque dies subito coitura videbit:
Nec positis deerunt annua liba focis.
Surget honos aris, siquas postraverat aetas,
Et pietas late prisca redibit ovans.
Frigora mitescent animis inimica saluti,
Atque diu adversos mutuus uret amor.
Artibus iugenuis sua stabit gratia, tendet
Laetior et ramos laurus odora suos.
Tu quoque, qui dubiis iactatus fluctibus erras,
Quem favor et bona spes prosperitasque fugit;
Erige, nil dubitans, animos, et respice sidus,
Qucd tibi propitio fulget ab axe novum.
Praesul is est, Albae iam non novus incola, posthac
Ille suis rutili sideris instar erit.

Non labor huic fuerit maestos recreare penates:
Scilicet adsvetum non male fertur onus.
Per salubres rivos, per pabula sacra fidelem
Dulce manet semper ducere, ut ante, gregem.
Consiliis fulcire bonis dextraque benigna,
Siquos pauperies sorsque sinistra premit,
Deliciae fuerant illi: decora ista fatiscent,
Dum meritis magnum pulchrior ambit honos?
At radiis Titan rutilat formosior amplis,
Igniferos quoties altior urget equos.
Et rosa mellifluos potior diffundit odores,
Quo magis ambrosios explicat illa sinus.
Tantus amor, praesul, tot te spes undique stipant,
Haec inter medio quid tibi mentis inest?
Fixa polis pietas et pectus numine plenum,
Num super imposito pondere pressa labant?
Quin manet et contra pia mens audentior instat:
Sic grave devincit palma, quod urget, onus.
Est tibi, sitque precor, maturi fertile pectus
Consilii, est multa cor pietate calens;
Est studiis exculta bonis opibusque Minervae
Felix et patriae mens bene nota tuae.
Quid tua non valeat, praesul, facundia? victos,
Quae toties iuvenes, quae tenuitque senes;
Curio sive sacer reseras orcula divum,
Sive catus doctor pulpita docta teris.
O quoties recti de tramite devius, aequam
Mutatus doluit deseruisse viam!
O quoties virtus, quam ornaras ore diserto,
Gavisa est rediis se renitere novis?
Haec tua laus, praesul, patrias celebrata per oras,
Accumulat titulis digna tropaea tuis.
Alba mihi testis, testes Vál, Nittria et urbes
Oppidaque eloquio condecorata tuo.
Eloquar? an sileam? coelo contermina virtus
Est tua, quam renuit nostra tacere chelys.
At, quae mens pia musa tibi? non fluctibus apta est,
Siquam destituunt congrua vela, ratis.
Siccatae toties lacrimae, questusque fugati
Hanc melius peragent damnaque pulsa vicem.

Quippe velut gratos dispensas, Phoebe, calores,
Manat ut e vivo fonte perennis aqua:
Munifico pariter tua, praesul, numine dextra
Innumeris passim, Titus ut alter, adest.
Ah valeant! dicis, quibus est fortuna benigna,
Frigida sed durum pectora marmor habet.
Quid iuvat attalicos caeca recludere census
Arca, ubi tot miseros sors inimica premit?
Non decus argento est, non laus, qui possidet, illi;
Usibus illius laus nisi iusta venit.
Ah! valeant, iterare soles, quos, post nisi fata
Cura tenet plutum rite locare suum.
Quod retinere nequis, quae gloria cedere? pulchrae,
Invitus quod agis, laudis opusne vocas?
Siccine tu praesul? nil iam mirabimur, almam
Unde tuam celebrent tot benefacta manum.
Nec tibi praesentem satis est mulcere dolorem
Consiliis, opibus, dexteritate, fide;
Saepe fit, ut doleas, si non deprendat egenus,
Absentemque malo cura levare tibi est.
Nominis et famae tanta quia luce refulges,
Quam bene stat lauris iuncta tiara tuis!
Haec modo spectantes (quid enim? nisi vota salutant)
Laetitiae insolitus quoslibet aestus agit.
Mysta, potens, pauper, plaudens cum cive senatus
Ore ferunt nomen, praesul amate, tuum.
Quid pius ordo, suo te quondam laetus alumno,
Nec tibi cuius adhuc pectore cessit amor?
Hanc tibi solennem propriam quoque dicere gaudet,
Et cupit ornatam, qua licet usque, diem.
Quodque valet precibus, quod votis addere, summis,
Non minus ac imis aemulus ire studet.
Thura probent superi, tot quae dant pectora, praesul,
Innumeros vives et sine nube, dies.

Elegia XIV.

Ad Michaelem FOGARASSY, *episcopum scutariensem, edendis bonis libris a Stephano rege Hungariae dictae societatis auctorem et fautorem meritissimum 1852.*

Quod pietas, grati quod poscit pectoris aestus,
Per nos devotum sit F o g a r a s s y tibi.
Nil opus hic musis, cedant vaga somnia vatum:
Tu potior nobis, Phoebus ut alter, ades.
Sublimes animi, divum pia munera, dotes
Efficiunt famae non decus omne tuae.
Altior assurgit vigili quaesita labore
Gloria, non ulla nocte premenda, tibi.
Inde virent patulae, meritorum praemia, lauri,
Et honor amplexus expetit inde tuos.
Hargiteos fines, praerupta cacumina, clarum
Exsuperat nomen iam F o g a r a s s y tuum.
Dacia miratur, plaususque decenter adornat,
Dum recipit laeto te alta Vienna sinu.
Montis ut intonsi natus sub vertice rivus,
Et nivium et pluviis multiplicatur aquis:
Sic tibi opes animi, sic nimbus nominis amplus,
Crescunt et late multa per ora volant.
Et velut in castris, cui martius eminet ardor,
Dux fit conspicuus, qui modo tiro fuit:
Non minus egressum ludi modo limina, pulchri
Iam te praesidii fulgidus ambit honos.
Hinc nova consurgunt laudum monumenta tuarum,
Hinc honor, hinc tituli, signa decora, novi.
Te Varadinenses exultant praeside musae,
Budensesque decus, deliciasque vocant.
Hei mihi! quam latum meritorum se explicat aequor,
Quis rate tam vastis obvius ibit aquis?
Undique cura premit, ductorem namque sagacem
Res sacra te poscit, resque profana sibi.
Tu vice solliciti sic patris fungeris, huius
Ut simul illius commoda corde feras.

Vos vigiles noctes, vos docta volumina testes,
Et rostra eloquio nobilitata tuo.
Haec licet ampla putes et talia, fonte perenni
Nominis unde recens famaque lausque fluat:
Est tamen his maior, soli tibi iustus in oris
Et patriae, et cunctis, qua patet orbis, honor.
Qua sancti regis Stephani per regna, piisque
Pectoribus late cultus amorque viget:
Nomine sub tanto decus immortale manebit,
Et referent curas tempora cuncta tuas.
Auctor tu, fautorque pius, primusque fereris,
Qui iam messe satis divite gaudet, agri.
Hic, veluti Phoebus roseo dum surgit ab Euro,
In plenum sensim proficit usque diem;
Ignifluosque simul spargens cum luce calores,
In solidam ut crescat planta tenella, facit:
Non aliter studio, curisque fidelibus instans
Sedula contendit clara corona virum;
Ut pietas animis, ut cultus debitus aris,
Utque polis grati sit seges ampla boni.
Iure igitur decorat sacris pariterque profanis
Insignem studiis pontificale decus.
Quive Dei causam et patriae tam sedulus urget,
Iure Dei et patriae laetus amore suae est.

Elegia XV.

Ad Iosephum ORGLER, *quum in districtu litterario posoniensi munus superioris directoris regii adiret 1824.*

Si licet et pateris tenui se tollere musae,
Illa libens, Orgler, nomina vestra canet.
Et, si quando sitit sacras Aganippidos undas,
Nunc imbuta illis magna sonare cupit!
Iure cupit: propria est, faciat quae causa disertum:
Parva sonent, tantum quos aliena movet.

Munere tu Divum, tu regis nempe favore
Musarum praeses pulchra theatra subis.
Quam bene conspiret superum regumque voluntas;
Te siquis videat, nil dubitare potest!
Corporis atque animi cumulant te dotibus illi;
Hic talem eximio tollit honore virum.
Illi te studiis faciunt virtuteque clarum,
Hic statuit meritis praemia digna tuis.
Iste novos aditus virtuti pandit honorum;
Illi, quo valeas, obtinuisse, dabunt.
Grande capis munus, quo vix est grandius ullum,
Si modo rem iusta lance tenere velis.
Iungere nam teneras musas simul atque severas,
Est, quem formidet magnus Apollo, labor.
Hinc tumidas bicolor discindit opinio mentes,
Inde leves titubans spesque metusque trahit.
Haec sibi plus, plus illa sibi tribuisse videtur:
Adspirat primo quaeque sedere loco.
Ista, quod in largas dispergat semina messes;
Maturo fructu laetior illa suo est.
Si faveas cunctis, cunctis favisse nocere est:
Et tamen exoptes reddere cuique suum.
Praeside te musis, esto deferveat aestus;
Heu! tibi vincendum quale manebit onus!
Quot scopuli surgent! quot monstra horrenda resistent!
Viribus herculeis vix superanda putes.
Attamen audebis: felix audacia rebus
Iam conclamatis saepe tropaea dedit.
Ausus ovem quondam phryxeam quaerere Iason
Per freta per vitae mille pericla fuit.
Hectora non alius, generosus stravit Achilles;
Pugnare audaci scilicet ausus erat.
Daedalus aeterno clausisset carcere vitam,
Nulli tentatum ni subiisset iter.
Mucius hostiles audax penetrare catervas,
Annon romanae causa salutis erat?
Tu quoque (nec dubito) fortes imitabere fortis:
Viribus evadent cuncta minora tuis.
Iamque ferox rigidos induta licentia frenos
Iactatas posuit, te duce fracta, minas.

Prisca redit virtus, langventibus aestuat ardor;
Statque suum musis, quod meruere, decus.
Talibus inceptis quid non spes maxima iungat?
Phoebe tuis surgent saecla beata sacris!
Auguror (haud vates tantummodo vana loquuntur
Somnia, quis vates numen habere neget)?
Auguror et tanti mihi non praesagia cornix,
In te sed dederant semina iacta boni.
Illa potens Conso mens, ac simul illa serenae
Frontis temperies, ignifluusque vigor;
Illa decens gravitas, fetum quoque Palladc pectus,
Alloquiique simul gratia multa tui;
Omneque pestanis dudum perdulce palaestris,
Pisonio posthac sparget ab axe iubar.
Iamque, comas adsveta tuas praecingere laurus,
Frondibus occoepit laeta virere novis.
Te memorant matrum dulcissima pignora, nomen
Discendo blaesa reddere voce tuum.
Te laeti celebrant iuvenes, iuvenumque magistri,
Praesidio certi fausta venire tuo.
Teque novum Phoebum, Pisonum sede micantem,
Musarum plaudens turba novena videt.
Eia, age, laetantes placido circumspice vultu!
Auspicio crescunt gaudia quanta tuo!
Quae patriae patrum certissima, quaeque parentum.
Exaequent, Orgler, vota, videre tuum est.
Maxima (quis nescit?) cura haec fuit usque Latinis,
Cecropiisque, bono cuncta stetere loco.
At simul a cunis fuerat neglecta iuventus,
Heu! quantum a magnis degeneravit avis!
Sponte Themistocles cessarunt atque Solones;
Nullus erat Brutus, Scipio nullus erat!
Nil nobis. Orgler, te praeside tale timendum est:
Blanditur velis aura secunda tuis.
Arripe iam viduas, quod restat, promtus habenas;
Accedent titulis hinc nova signa tuis.
Interea, tenerum quae te fovere sodalem,
Schemnicziis, oro, perge favere scholis.

Elegia XVI.

Ad coetum canonicorum ecclesiae metropolitanae colocensis, dum Stephanus CSAUSZ *et Emericus* DEMERÁCZ *in eundem cooptarentur 1826.*

Festa dies agitur, recipit sua praemia virtus.
Quisquis adest, faveat: carmina laeta canam.
Nuper magnanimi perlustrat gratia regis
Cunctas Hungariae, qua patet illa, plagas.
Incaluit cernens propensos undique cives,
Et quosvis regi velle placere suo.
Fundere pro patria vitam cum sanguine promtos
Ut vidit iuvenes: praemia ferte, sonat.
Aspicit hos praesens aegris adferre levamen;
Illos officiis rite vacare suis;
Eia decus vestrum patulis magis evolet alis,
Noverit et nomen terra remota bonum.
Mox ubi sacratas subit almi numinis aedes,
Atque animo quaerit gaudia certa suo:
En! videt orbatos summis pastoribus haedos,
Quos dolor et lacrimae promere verba vetant.
Cernit et assyrio vestitas murice sedes
Non uno vacuas triste silere loco.
Protinus exclamat: vos ego, mea cura, silentes,
Et memor officii, vos animare morer?
At curae nostris fuerant maioribus istae:
Num nos a magnis degeneremus avis?
Sunt mihi conspicuis pariter virtutibus atque
Promeritis clari, patria fulcra, viri.
Dixerat: et mox Iaurino vigor ipse redivit,
Vesprimioque suus, Rosnaviaeque suus.
Nec satis et Coloczam, divis loca grata, revisit,
Et meritus meritis templa reclusit honor.
Iamque tibi factis, aetate et munere summo
Accedit, Szalai, pontificale decus.
Mox Csausz et Demerácz, clarissima nomina, digno
Ornantur, pridem quem meruere, loco.

Iuribus ille potens, hic plenus dogmate sacro,
Laudibus eximii notus uterque viri.
Quam placidus, mitis, doctrina qualis, et ambo
Quam cari cunctis! pectora nulla fugit.
Amplis qua meritis parto cumulantur honore,
An fuerit, tacitus qui pia vota premat?
Vos ego membra sacri veneranda appello senatus,
Quorum sunt tanti pars modo facta viri!
Annon cuique pium pertentant gaudia pectus,
Talibus ut membris stalla nitere videt?
Omen non raro latitat sub nomine: quid tum?
Huic nomen Stephani est, huic Emerice tuum.
Ille pater fuerat, fuit alter natus: at iste
Iam sanctus sanctum filius ante patrem.
Nominibus tantis insignia pectora vestros,
Dum subeunt, cleri docta corona, sinus:
Quis neget his, queis vos fulgetis sedibus, amplum
Accessisse decus, vosque nitere magis?
In vobis placidi mores, fastuque carentis
Temperies vultus, mensque benigna micant.
Maxima doctrinae et meritorum fama remotas
Vestrorum dudum iam subiere plagas.
Quid? quod in afflictos sit vobis, atque clientes,
In patribus qualis sensus inesse solet.
Quot iuvenes, vitae fuerat quibus arcta supellex,
De vestra vitam sustinuere manu!
Quot viduae miserae, tristis quas ursit egestas,
Vobis tanquam aris pectora grata litant!
Ujvári, Bajzik, Horváth, Szutsits et Tuêguth ampli,
Cum Csupor et Thering, nomina cara, viri!
Sentitis forsan, quo me mea musa levaret,
Icarias vellet ni meminisse vices?
Moribus eximiis, musisque addicta sacratis
Dum vestro accedunt fulgida membra choro:
Brachia, quo tendunt, laetantes pandite vestra,
Et socios sortis corde fovete pio.
At nos, turba minor, votis precibusque sequentes:
Vivite, dicemus, lustra beata simul!

Elegia XVII.

Ad Stephanum CSAUSZ, *ecclesiae metropol. colocensis et archiepiscopi a latere canonicum, in comitiis regni capituli eiusdem ablegatum, post gravem morbum Coloczam reducem 1829.*

O salve! toto genimamus pectore, salve!
Stephane, vir magnis non minor ipse viris.
Te duplici reducem titulo quis non veneretur?
Quis pia laetitiae pignora ferre neget?
Luximus, et nostrae caruerunt fine querelae,
Verba dabant gemitus cumque timore dolor:
Cum te depositum, spe vitae pene carere,
Inter singultus squallida fama refert.
Iam fugit ora color, iam vultus funere pallent,
Dixerat, et macies languida membra tenet.
Gratia nulla cibis, vires sunt corpore nullae;
Praecipue magnus pectora languor habet.
Qui dubitat, videat quam sit mutatus ab illo,
Qui vita, atque decens qui vigor ante fuit.
Haec illa. Absque mora, decorat quos purpura, fratres
Talibus accusant fata sinistra modis:
Siccine vos sacrum vexatis fata senatum?
Nec, nihil adversi nos meruisse, iuvat?
Iam placidum immiti rapuistis funere fratrem,
Qui fuerat nostri gemmaque spesque chori.
Nunc, quae lucidior mansit spes altera, nostro
Eripere audetis ferrea fata sinu?
Ergone decretum est, ut qui simul ista petebant
Stalla, simul primo tempore terra premat?
At si vos candor, si pectus Pallade plenum
Alterius, si non moverat ingenium:
Istius (petimus) moveant vos facta decora,
Per patriam et cunctas facta notata plagas.
Hunc procerum ut vidit statuum quoque splendidus ordo,
Iste gravi, aiebant, munere dignus adest.
Cum vero cunctos rapiebat voce diserta,
Nullus, qui meritum non celebraret, erat.

Iure igitur prorex ferales improbat ausus;
Iure tibi, praesul maxime, maeror inest.
Nos quoque, quos propius tam vulnera dira lacessunt.
Iure pio superis pectore vota damus.
Aurea suscipiunt clamores astra precantum.
Fac pia vota, polos fervida vota movent.
Quem prius extremo nutantem pene labore
Vidimus en! cunctis desideratus adest.
Gratia coelitibus, vobis quoque gratia, doctus
Queis succos medicos monstrat Apollo suos.
Quippe status socio donastis, fratre senatum
Purpureum, cunctos laetitiaque bonos.
Grandaevam hos inter matrem, clarumque nepotem
Quis dubitet primo commemorare loco?
Quae tibi cara salus rediit, diuturna perennet:
Clerus id et populus nostraque musa vovet.

Elegia XVIII.

Ad Petrum KLOBUSICZKY *archi episcopum Coloczam e comitiis regni Posonio reducem 1829.*

Solliciti nuper dum lustrat gratia regis
Dedita iustitiae consiliisque fora.
Pestanas cernit tabulas et tecta superba:
Moxque fovet tacito gaudia multa sinu.
Non tamen haec patriae patri cumulata videntur,
Quippe sibi carum sentit abesse Petrum.
Nec mora: „Petre veni, tecum mox clarior inquit
Fulgebit septem-clara corona-virum.“
Dumque novis meritum titulis et honoribus ornat,
Et Themidis, dixit, munera sacra geres.
Scilicet augustas, excellentissime praesul,
Qua renites, virtus non fugit alma fores.
Nam velut haec, coeli carissima filia, divas
Inter coelestes prima sedere solet:

In te virtutum, queis fulges, illa catervam
Ducit, et est vitae digna magistra tuae.
Haec facit in superos nulli pietate secundum,
Urens divino pectus amore tuum.
Haec patriae retinet studio, regisque benigni,
Quos colis obsequiis, consiliisque tuis.
Haec facit innumeros, queis sors insultat acerba,
Ut promta releves, praesul amate, manu.
Tempus erat, quo flamma vorax, animantibus curis,
Supremum est Coloczae visa parare diem.
Eheu! quam rapido certabant flamine venti,
Vulcani rabies quam truculenta fuit!
Ortus erat clamorque virum, matrumque ululatus,
Ex oculis salsae prosiluistis aquae.
Quid tamen ista iuvant? fumum, cineresque videre est,
Qua stabat domibus comta platea prius.
Flebat mater amans, nec, quo pascatque, tegatque,
Nec, quo reclinet pignora cara, videt.
Nec iam flere valent miserae matresque virique,
Singultu lacrimas impediente graves.
Sed prope desperant, terras vitamque perosi.
Omnia si perdat, quem superesse iuvet?
Non tulit hanc speciem virtus tua, maxime praesul,
Et properat maesto tergere ab imbre genas.
Instat et exemplis maior mortalibus, ipsis
Enixis precibus nititur esse prior.
Pane domat rigidamque famem, vitamque moratur;
Aere gravi tectis squallida busta fugat.
Nec satis: afflictos inter suspiria lustrans,
Quo recreet, tantis aggemit ipsa malis.
Te rursum, praesul, tali virtute coruscum,
Quam dulce est cupido cernere posse gregi!
Munificasque manus gratis libare labellis,
Atque oris sacros aure bibisse sonos.
O salve! et revehens tecum solatia cunctis,
Spargito virtutum, sed sine fine, iubar.

ILLUSTRIBUS. REVERENDIS. EXIMIIS.
PERDOCTIS. ATQUE. CLARISSIMIS.
VIRIS.
RELIGIONIS. PATRIAE. BONI. COMMUNIS. ARTIUM.
AC. LITTERARUM. STUDIO. ATQUE. CULTU.
CONSPICUIS.
PIETATIS. HUMANITATIS. BENEVOLENTIAE. NEC. NON.
PATERNAE. CURAE. ET. AMICITIAE. NON. FUCATAE.
EXEMPLARIBUS.
AETATEM. SUAM.
IN. SUAE. AMBITU. DESTINATIONIS.
IUDICIO. CONSILIO. INTEGRITATE. DILIGENTIA.
INDUSTRIA. ASSIDUITATE. VERBO. ET. FACTO.
COLLUSTRANTIBUS.

MAIORIBUS. VENERATIONE. AEQUALIBUS.
AFFABILITATE.
INFERIORIBUS. MANSUETUDINE.
ADDICTIS.
OB. VIRTUTEM. ERUDITIONEM. DEMISSIONEM.
HONORATIS. LAUDATIS. AMATIS.
VIVIS.
SALUTEM. OMNIGENAM.
VITA FUNCTIS.
LUCIS. NUNQUAM. DEFECTURAE.
COPIAM.

ELEGIARUM

LIBRI TERTII

Elegia I.

Ad Casparum ZELNEKY *e scholis piis sacris primum operantem Szigethi in Marmatia 1811.*

Rara dies, raro quoniam decoratur honore,
Marmatico rutilans fulget ab axe solo.
Ornat festivus populi concentus et illud,
Quod nunquam vidit, cernere laetus avet.
Insolitique tubae clangores aethera scandunt,
Dant quoque iucundos tympana pulsa sonos.
Exornata nitent crebris altaria ceris,
Thura sacro redolent largiter usta foco.
Nec mirum: novus ecce! subit pia tecta sacerdos,
Dulce litaturus farque merumque Deo.
Dulce quia est gratum, gratum quia detulit insons,
Qualem, qui haec coelis immolat, esse decet.
Haec genius vix marmaticus conspexit, amore
Igneus, arguto verba dat ista sono.
Mirabar, quid laeta nimis mea compita vellent,
Amplaque (quod rarum est) templa referta viris.
Quippe novus nitidas accedit presbyter aras,
Et tractat, coelum quod veneratur, opus.
Panem fert manibus, vinum fert fonte remistum,
Propitiumque sibi poscit ad ista Deum.
Fitque fides votis: de summo namque polorum
Magna patris soboles promta subire throno est.
Haeccine sub nostro contingunt vertice? tantum
Ipse ne sim felix, tamque beatus ego?

Sic est. Visa loquor: coelesti sede receptum est
Sacrum, quod primum marmata terra dedit.
Quid modo non sperem tali recreatus honore,
Nulla mihi qualem spes fuit ausa dare?
Atqui iam posthac (nam sacrum farre meroque
Oblatum est) superum dona parata legam.
Undabit flavis per nostros messis aristis
Agros, terga licet vomere nemo petat.
Bacchus pampineas non iam mihi subtrahet uvas,
Hinc quoque nec vitis tam procul omnis erit.
Hactenus. Hinc patulis genium complectitur ulnis
Carpatus, exiliunt Iza, Tibiscus aquis.
O! nimium, Caspare, Deo qui iudice felix
Diceris, haec inter quis tibi sensus inest?
Qui tibi sub puris gliscunt penetralibus ignes
Cordis? quos summi numinis ardor alit.
Gaudia nonne tuo sub pectore castra locarunt,
Gaudia non ulla praeteritura die?
Et merito: tibi nam grandis venit illa voluptas,
Conscia quae superum sensibus esse solet.
Vix adstas aris, loquerisque potentia verba,
Nec mora, praesentem sustinet ara Deum.
Ille tuas, humili quas fundis corde sacerdos,
Excipit et vanas non sinit esse preces.
Ergo te patriae, regis, memoremque parentum
Audit, amans votis dexter adesse tuis.
Audit vota sacro pro praesule, proque piorum
Ordine fusa patrum, proque cohorte scholae.
Audiet et pro me, si fundas (quod rogo) cuius
Musa, tibi haec fausta luce micante, canit.

Elegia II.

Ad Bernardum BENYÁK *e scholis piis, dum decanus seu senior instituti salutatur 1823.*

Exactis laudum monumentis, laudibus unum,
Care pater, potuit quod superesse, tenes.
Florebas quondam studiis celeberrimus, aptus
Dum caluit membris ingenioque vigor.
Pestinum, nec non Szegedinum, ac Vacia tellus,
Alba-simul celebrat-Regia quantus cras!
Pulchra senectutis carpens nunc otia, laudem,
Quae propria est summis tempore, solus habes.
Maxima qui iuvenis meruit praeconia famae,
Anne senex, quaeris, vivere possit iners?
An tantum querulis onerat clamoribus auras?
Nec nisi continuo pharmaca sola sitit?
Aut metuit nummis? aut castigando minores,
Et sua laudando tempora tempus agit?
Ah! rudis est, quisquis tantum putat ista valere,
Qui vitam in studiis duxerat ante, senem.
Ille, velut Nestor, lectas iuvenilibus annis
Consilii vena divite spargit opes.
Quas olim coluit musas, quandoque salutat,
Interdum tremula fert quoque thura manu.
Fama est lustra decem post sex vixisse Platonem,
Tunc quoque scribentem mors inopina rapit.
Saepe stetit iuvenis dubius, mox laetior ibat,
Quis potuit dubiis expediisse? senex.
Desperata fuit prope res romana, feroces
Contudit annosus Curius ille minas.
Non igitur desunt senibus solatia vitae,
Nec, quo diminuant taedia longa, labor.
Tu, Bernarde pater, quam sit iucunda senectus,
(Ne veteres memorem) tu mihi testis eris.
Iam tibi transierant deni prope bis quater anni,
Fronte sedent rugae, canitiesque comis;
Non tamen est onerosa tibi, quae vivitur aetas:
Utiliter nosti ducere nempe dies.

Nunc Euclidis tu numeros, doctasque tabellas,
Nunc recolis magnos, otia grata, sophos.
Saepe soles etiam blandas, tua gaudia, musas,
Hungarica, aut latia prolicuisse chely.
Vidi ego nuperno dictatos tempore versus,
Explebant numeros Naso, Virágque tuos.
Quid? quod et argutos misces non raro lepores,
Dasque suum salibus, blanditiisque locum.
Non aliter, quam cum post mille pericla penates
In patrios miles victor ab hoste redit,
Terrores, hostisque fugam, grandesque labores
Inter, securus, vina iocosque refert.
Annon, quae talis, simul et iucunda senecta est?
Aut aetas, quae sic currit, inanis erit?
Pes habet ast vitium, dices: elegeia, quam sic
Diligis, alterno claudicat ipsa pede.
Caligant oculi, nihil est. Dum robora Pyrrhi
Appius elusit, luminis orbus erat.
Quin etiam narrant, animo ut plus cernere possit,
Quemdam luminibus se spoliasse suis.
Vivo quidem, sed non meritum est me vivere, dicis:
Ergo putas superos posse favere malis?
Si fors poena tibi est, quod longos vixeris annos,
Debueras graviter laedere saepe Deum;
Sin minus, haec meritis tantummodo contigit aetas:
I nunc, te hos annos non meruisse refer.
Insultant iuvenes senibus, non rara querela est:
Non nego, si senibus, quod venerentur, abest.
Essent annorum numeri si forte colendi,
Corve senex, quanto dignus honore fores!
Id tu non quereris, nobis ter amate decane,
Nostra in te pietas perbene nota tibi est.
Praesens carmen agat testem. Sit tempore sero,
Quo tua dicamus molliter ossa cubent.

Elegia III.

Ad Georgium GRUBER *e scholis piis pro privato herulorum praefecto discedentem 1824.*

Tune tuos, Gruber, dulcissima pectora, fratres,
Et sine fors lacrimis linquere, tune potes?
Non potes: illi te retinent; tu diligis illos:
Non facies una vulnera bina via.
Aspice, quam tenero te complectantur amore,
Quam crebro memorent teque, suumque vocent!
Ut cupiant tecum cunctos transmittere soles,
Ut tibi sincero pectore vota ferant!
Tu vero niveo nunquam non cedis amori,
Thesea socios promtus amare fide.
In sociis animi vivit pars maxima vestri,
Usque adeo illorum te pius urit amor.
Et tamen (ah vereor!) ne tu, sociique dolores
Mercentur stabiles hac pietate sibi.
Scilicet eriperis, vix heu! rediturus (abesset
O utinam curis omen adusque meis!)
Eriperis: rapiunt meritum, simul inclyta virtus,
Atque animi dotes, ingeniique tui.
Eriperis, rapiunt doctrinae fama, tenellae
Pubis amor, tum spes ordinis ampla pii.
Hei mihi! quem rapiunt, retinent quoque vincula tanta:
Quisquis abit talis, vix rediturus abit.
Tu tamen i! fratrum sedenim memor usque tuorum,
Inter quosque mei pauca monentis eris.
Semper eris, certum est; videas tantummodo quosnam
Liqueris, et quonam fixeris ipse pedem.
Pieridum sacris devota silentia linquis;
Et strepitus aulae et splendida tecta subis.
Atque utinam splendor socius rectique piique,
Scylla nec incautis, naufragiumque foret!
Quam petis, aula, quid est, nisi pontus? scilicet omni
Tempore habet dubias pontus et aula vices.

Africus aequor agit, Borea convellitur aula,
Hei mihi quot ventus perdit uterque rates!
Aequoribus nimium quae fidit cunque quietis,
Fluctibus in mediis naufraga puppis erat.
Ludibrium ventis, portu ridente, natabant
Antennae, mali, turgida vela, trabes.
Auram, siqua favet, capta moderatius; atris
Insidiis, quamvis faverit illa, scatet.
Quae te pendentem tollit super aethera, tandem
Deiicit, aura favens, Icare, nonne fuit?
Immodicis ne te divexet gloria curis,
Quae venit ex merito gloria, sponte venit.
Dum nimium studuit siculo placuisse Damocles,
Stultitiae fuerat victima pene suae.
Nec semper Zephyris cupies ridentibus uti,
Instabiles rerum conscius esse vices.
Astra etiam caeca nebularum nocte premuntur;
Nec semper nitidi tempora veris eunt.
Gratia te quamvis roseis portaverit ulnis:
Tu tamen adversi temporis esto memor.
Tam cito non tenues fumus vanescit in auras,
Tam cito non silvis frondea serta cadunt:
Gratia quam tumidae, quis nescit! mobilis aulae est;
Dumque nihil credas certius esse, fuit.
At tu dispicies, quid te sociosque decebit:
Cetera, permittes, sors sua cuncta regat.
Quid iuvat inutili pectus discindere cura?
Haec vires gladio sumit ab ipsa suo.
Esse cupis felix? fortunae fidito parce;
Sique minus lateas, fac latuisse velis.
Denique cultior est grandi patientia voto
Deveneranda tibi. Spes bona cuncta dabit.
Subiice te coelo rutilantia tela minanti:
Vincito, dum rapidus sanguinis aestus agit.
Si fors blanditur mollis fortuna, recede;
Et tacitus ride, si fremat arma minax.
Si placeas cautus credes, sapiensque favori;
Optima, si iaceas, otia lentus ages.
Laudibus ornaris? laudes audito modeste;
Deprimeris? curvo flectito colla iugo.

Dissimula, quoties hostilis lingua lacessit;
Et cave, si doleat, fulmina bruta vibres.
Plura quid admoneo? stabis virtute beatus.
Mortales virtus sola beare potest.

Elegia IV.

Ad Martinum BOLLA *scholarum piarum provincialem secundo-primis sacris operantem 1825.*

Gaudia dum geminant cuncti, pia turba, sodales,
Ipse minus, pietas qua iubet ire, ferar?
Et mihi vena calet, nec desunt pectore vires,
Queis certem sociis non minor esse meis.
Estque, fuitque meus praeses teramatus, ut illis,
Cui micat haec felix, terque, quaterque dies.
Et mihi, quos sociis, idem pater addidit ignes,
Quo capiar sacris blanda Thalia tuis.
Tu cessare tamen, reliquis laetantibus, audes?
Nec properas gratam reddere musa vicem?
Quin agis, et quidquid tali de sole caloris
Hauseris, unde tenes, dum licet, ultro refers.
Scilicet et rivus, trepidat quo fonte perennis,
In mare praecipiti volvitur usque pede.
Aspice quis, qualique nitens sit munere, quantis
Annis et meritis sit pater ille gravis!
Mox, puto, praemetues, quam portum laeta salutet,
Fluctibus in mediis ne tua cymba gemat.
Et merito: quis enim, decies iam quinque peractas
Aestates superis thura litando, canat?
Quis capiat? quae sit maiestas, quantaque virtus
Immensum ante aras sistere posse Deum!
Et tamen ille pater, cui lux haec fausta recurrit,
Lustra decem in superos talia iura tenet.
O! quoties coelum fecundo rore pluebas,
Supplice devictum voce manuque patris.

O quoties divum, vindex quae saepe malorum es,
Illius ad votum dextra benigna cadis!
Quid? cecidisse parum est; confers quoque munera dives:
Nempe movent rutilos tam pia sacra polos.
Quis neget illius captum libamine coelum,
Quod toties illi dulce videre fuit?
Forte voles, Cainum quisquis sectaris, ut illud,
Impia quod defert dextera, numen amet?
Falleris, et coelo dignum si munus habebis,
Cuiusvis expers, credito, labis erit.
Tale p a t e r venerande polis offerre solebas;
Cognatum potuit iure placere sibi.
Quodque decem placuit lustris, iubilaea colendo,
Quae celebras, divis quis placitura neget?

* * *

Musa fave! dignas p a t r e tanto suffice flammas,
En! accepta Deo dona laturus, adest.
Mitis, ut agnus ades, niveus velut alba columba:
Attamen in docto plurimus ore vigor.
Iudicii gravitas, rebus mens promta gerendis,
Nobilitas generis, iustitiaeque rigor.
Ipsa simul sequitur dilectio vera suorum;
Et quidquid magno parque decensque viro est.
Hinc atque hinc longus meritorum fulgurat ordo,
Et, qui se meritis iungere gaudet, honos.
Progreditur tota fratrum comitante corona,
Aemula quam pietas ducit amorque p a t r i s.
Ardet ovans studiosa cohors, p a t r e m q u e benignum
Excipit, et manibus basia ferre volat.
Quid? quod et urbs pestana suis e sedibus ultro
Mota favet votis obsequiosa piis.
Pars veniunt, tantoque viro de munere divum
Conscia laetitiae promere verba student.
Pars mirantur onus, quod adhuc florentibus annis
Sustinuit, quod adhuc fertque, tenetque senex.
Sunt quoque transactae numerent qui tempora vitae;
Cuique manum imponat, plurima turba ruit.

Scilicet haud aliquem, nomen quem Bolla lateret,
Esse putes daco pannonicoque solo.
Illic excepit sublimi gloria curru;
Adiunxit meritis hic decus omne novis.
Prima suum celebrant Chironem lumina regni.
Illic, queis vitae lux prius ipse fuit.
Hic, amor est patriae si fors visisse columnas;
Vix erit, his illum qui neget esse parem.
Abfuerit? quaerunt, invisunt, saepe salutant;
Haec si decipiunt symbola, nulla valent.
Vidi ego non pridem patriis e solibus unum,
Illius ancipiti condoluisse malo.
Immo aliquis, precibus, dixit, bene poscitis astra;
Si cadat is vobis ipsa corona cadit.
Cerne urbes primas, illustres cerne cathedras,
Quid? nisi praeclaro hoc nomine plena vides.
Ille vices hominum, vastus quas viderat orbis,
Signavit, docuit; nec minus usque docet:
Summi doctores variorum quippe locorum
Illius cupiunt ore, sonoque loqui.
Quid referam iuvenes tam docta volumna stupentes,
Et studium, quo eius mellea verba notant?
Haec teneant alios, nos praemia pulchra laborum
A magno patriae patre profecta vocant.
Viderat is Martine tuos sudore madentes
Vultus, dum matrum pignora cara colis.
Solibus et vigiles vidit confundere lunas,
Nominibus Clius dum monumenta paras.
Talia Bolla gerit? nec adhuc sua praemia virtus
Tanta ferat? socios nec stimulemus? ait.
Quin, age, pro merito, quod puro concolor auro est,
Aurea de nostra sumito dona manu.
Siccine rex Francisce, pios tua gratia patres
Dum fovet, ignorat pene tenere modum?
Hi tibi quod vivant, quod possint publica regni
Commoda facturis civibus esse pares:
Hoc quoque, quod grati recolant tua munera semper,
Acceptum referunt, caesar amate, tibi.
Nec satis est totam scopulis avertere puppim?
Nec satis immites composuisse Notos?

Ut novus Augustus studio praestantibus, addas
Quo reliquis calcar, praemia larga facis?
O decus! o felix divum, Francisce, propago!
Regnorum sidus! publicus orbis amor!
Dum fastos meritis orbem virtutibus imples,
Exigis et summi numinis ipse vices;
Dum tecum veniunt praesentia gaudia, thuris
Haec hodie crepitet candida mica tibi.

* * *

At tu caesareo distinctus munere Bolla,
Nullibi non notus, forte latere potes?
Arma, viros, musas et tam bene tempora signas:
An, melius socios qui regat alter, erit?
Arripe, nil dubita, tibi iustas pronus habenas,
Te pius, ut duce te floreat, ordo vocat.
Nec mora: vota patrum conspirant. Puppe resedit:
Iamque artem superat Tiphy regendo tuam.
Magnanimus, fortis venientes excipit Euros;
Nec timet irato credere vela mari.
Sed modo sublatos disponit rite rudentes,
Carbasa nunc pandit, nunc male pansa legit.
Prospicit hinc ventos, et idonea tempora remis;
Plus aequo celeres temperat inde Notos.
Non altum semper, non semper littora quaerit;
Sed clavum prudens inter utrumque tenet.
Ergone miremur, tali rectore tumentes
Si ratis haec pelagi rideat usa minas?
Quam placide vehitur, gaudetque faventibus astris!
Quam felix tanto iam tria lustra duce est!
Quo me musa rapis? tu dotes praesidis amplas
Auderes tenui concelebrare lyra?
Aurea decurrunt hoc praeside tempora nobis;
Haec resonare voles? aurea metra para.
Ille favor, superi (nec enim nisi vota supersunt)
Qui dederat, tantum servet ametque patrem!
Fortunate senex, praeses, pater alme tuorum!
Quis, precor, in nostra sit pietate modus?

Maxima sunt tecum communia gaudia nobis,
Gaudia non ulla praeteritura die.
Aspice, quam toto properemus pectore raram,
Quae tibi praecipue est sacra, videre diem.
At tu, grata polis dum fers iubilaea, precamur,
Ordinis, eia, tui, quod facis, esto memor!

Elegia V.

Ad Petrum NAGY *e scholis piis. Desiderium absentis amici 1825.*

Quae mihi praesenti scribebas carmina, nuper
Absens et tristis volvo, revolvo manu.
Nec mora, diffugiunt gravidae per lumina nubes,
Nec mora, iam lacrimis ora sinusque madent.
O lacrimae, lacrimae, miserae solatia mentis!
Quam mihi, dicebam, ferre paratis opem?
Necquidquam fluitis, lacrimis nil fata moventur;
Sunt haec carpaticis asperiora iugis.
Reddere dilectum si vos possetis amicum,
Hei mihi! quam dudum redditus ille foret.
Nunc procul et sine me vivit, si vita vocanda est,
Quam quis dimidia ducere parte solet.
Vivit, seque simul lacrimis solatur amaris:
Par studium nobis, quod fuit ante, manet.
Dum me praesentem praesens complexus amore est,
Libera quam dulcis quaelibet hora fuit!
Nunc salibus teneris, cantu nunc duximus illam,
Miscuimus lepido saepius ore iocos.
Nunquam non fido fueram comes ipse fidelis;
Nunquam non vidit resque locusque duos.
Quis tibi nunc sine me sensus, carissime? forsan
More meo lacrimans carmina maesta facis.
Per plateas solus, per quas simul ivimus, erras;
Inque tuo nomen saepius ore meum est.
Saepe meos relegis versus, absentis imago
Non fugit ex oculis nocte, dieque mei.

Forsitan et mecum loqueris per somnia, teque
Deceptum evigilans saepe fuisse doles.
Quid sit amor nescit, qui eius praesentia flammis
Non divulsa simul corda liquere putat.
Abfuerat Naso geticis procul exul in oris;
Ille tamen patriae flevit amore suae.
Abfueras Damon, pro quo pius ille sodalis,
Qui te arsit, mortem promtus obire fuit.
Absumus, at nostri crescunt incendia cordis;
Crescere ut affusa Pallade flamma solet.
Iamque quies animi, iam dulcia somnia linquunt,
Te sine iam nobis, sentio, dulce nihil.
Quid faciam? cingunt multi me saepe labores,
Et cupiunt promtas iste, vel ille manus.
Adgredior, tenerasque voco per sidera musas,
Adveniunt musae; sed mihi fervor abit.
Fervor abit, redeunt curae, redeuntque dolores,
Hos pro te socios, candide Petre, colo.
Et licet hoc pectus, ceu vermes, fortiter edant;
Ipse tamen vigiles semper habere volo.
Scilicet illi te cupienti reddere norunt,
Quem superi, tellus, quem negat unda mihi.
Te voco, dum properat roseis aurora quadrigis;
Te voco, dum tenebras vesper adesse iubet.
Saepe citus gradior, quasi post te currere vellem:
Te velut expectans saepe retardo pedes.
Petre veni! clamo, tecum mea gaudia distant;
Ut redeant tecum gaudia, Petre veni!
Sed frustra clamo, miser ah! non audior ulli;
Ipsa, alias Echo garrula nympha, tacet.
Fata mihi misero nimium crudelia fata,
Dicite, quid noster vos iuvat iste dolor?
Odistis nostrae si forsan stamina vitae,
Arbitrio vobis rumpere posse stetit.
Sin minus, eia meum mihi reddite fata sodalem,
Vix melior leto quo sine vita mihi est.
Et facitis? vel cura mei vos nulla fatigat?
At mihi quam dulce est hoc in amore mori!
Rumpite fatales mea rumpite fila sorores!
Salvete elysii limina! vita vale!

Elegia VI.

Ad Martinum BOLLA *concordibus suffragiis vice sexta provinciale scholarum piarum electum 1826.*

Frustra annos vitae niveos lentamque senectam
Obiicis, et molem muneris ipse tui.
Quamque regis felix plus quam tria lustra, recusas
Frustra iam solita dirigere arte ratem.
Senserat ordo pius tali se patre beatum:
Num te, dum vivis, posse carere putas?
Atque utinam viridem possit tibi reddere vitam,
Deque suis annos multiplicare tuos!
Quod potis est, coelum votis precibusque fatigat,
Destituat patres ne tua cura pios.
Inde, licet renuas, concordi pectore clamat:
Tu Martine pater, tu mihi praeses eris!
Et quia vota fugis, precibus vicisse laborat.
Tantum in te, praeses, credit inesse boni!
Scilicet et platanus, fuerit quo annosior, alta;
Hoc melius rapidos despicit illa Notos.
Grandius est auro pretium, gemmisque vetustis,
Et vetulo maior gratia nonne mero?
Crescit in adversis virtus: prudentia semper
Splendidior longo parta labore micat.
Tyrrhenum felix qui fidit navita pontum,
Non simul Euboicas cautus arabit aquas?
Hostes qui validos vidit, Martisque labores
Exhausit rigidos, quid? nisi tuta petet.
Incertis iuvenis iactatur saepius undis;
Interea placidum Nestora litus habet.
Falleris ah! quicunque nimis iuvenilibus annis
Confisus surda despicis aure senem.
Illic consilium diuturno rectius usu
Invenies, illic mens radiata sedet.
Automedonta petis, dubias qui doctus habenas
Sustineat vitae? suadeo, quaere senem.
Qui toties populos, toties exterruit hostes,
Annosus Chiron ductor Achillis erat.

Nonne seni Sparte venienti assurgere dignum
Est rata, tum primo condecorare loco?
Hoc Martine tibi pietas, candorque tuorum,
Te fortunatis praeside, iure facit.
Et canos capitis veneratur nempe capillos,
Et stat rugosae, credito, frontis honos.
Quippe ferax frugum est, quae sulcis terra secatur;
Amplior est pennis gratia, cygne, tuis.
Nequidquam fractas memoras in corpore vires,
Quae, quamvis magnae, nil sine mente valent.
Est tibi, sitque precor, maturi fertile pectus
Consilii, partes roboris illud aget.
Curriculo vectus, captus quoque lumine quondam
Erigit ambiguos Appius ille patres.
Altior est curis tibi mens quamcunque molestis,
Illa sibi similis, quae fuit ante, manet.
Est studiis exculta bonis, est apta regendis,
Non minus ac fuerat, patribus illa piis.
Ac veluti sudo nimbis Aquilone fugatis
Pura dies omni nube serena vacat.
Non haec consenuit, quin longo pulchrior usu
Splendet, ut a dura vomer aduncus humo.
Post decies septem cui septimus adfluit annus,
Si tibi par fuerit corpore, firmus erit.
Tu tamen accusas tardas in corpore vires?
Longa terit silices, atque adamanta dies.
Siquid habet vitii corpus (nam debile vas est)
Assidui crimen, crede, laboris erit.
O quoties alii placidam cepere quietem!
Excussit somnos cura laborque tuos.
Inde tibi docti crescunt, tua pignora, libri,
Aureus inde tibi nummus honosque venit.
Ordinis inde pii nomenque decusque serenos,
Qui pene occiderant, viderat ire dies.
At meruisse sat est, dicis: nunc otia posco,
Emeritas puppes portus habere solet.
Quos studium tenuit constans, quos fovit Apollo,
Otia non illis pigra placere valent.
Vidi ego te dubia scribentem luce, quid ultra?
Id, fili, nunquam feceris ipse, mones.

Siccine tu sentis? sed te rapit usque laboris,
(Scilicet haec tua sunt otia) praeses, amor.
Ergo, age, tende manum, quae clavo nata tenendo est,
Ipse tua poscit longius arte regi.
Aurea, quae tecum fluxerunt lustra, beatis
O utinam nobis, sed sine fine fluant!

Elegia VII.

Ad Antonium DIENES *e scholis piis rectorem domus et directorem gymnasii, suum quondam moderatorem 1827. Colocae.*

Care Pater (tali te nomine iure vocabo)
Sume, precor, musae parva tributa meae.
Illa tuae curae, quod grates pendere possit,
Quodque sit, acceptum quippe referre solet.
Prima rudi primus mandabas semina terrae,
Fovisti placido germina prima sinu.
Mox teneram vitreo recreabas flumine plantam;
Iam promtus monitor, iamque magister eras.
Si Cereri flavas gratus fert messor aristas,
Sique focos Bacchi pocla dicata iuvant.
Laurea votivis si ponit belliger aris
Serta, redux castris, Mars truculente, tuis:
Mentoris emerita cur non mea fronte corollam
Condignam meritis musa locare queat?
Culta refert tellus pingvi cum fenore grates,
Quemque coles ramus mitia poma dabit.
Et, bene si pascas, turgentia lacte capellae
Ubera, vel domino vellera densa ferent.
Cuncta solent igitur curas sarcire fideles;
Te pudeat gratam musa referre vicem?
Quin age, teque piae properans adiunge catervae,
Cui sanctum meritis solvere iusta fuit.
Nil opus, ut tenerae memores exordia vitae,
Qua suevit socios antevenire suos.

Non Debreczinum, non Tata sunt revocanda, resultent
Te licet, o Dienes! nunc quoque, care, suum.
Claudia te madidum musis, et Apolline plenum
Mirata est: Clio tu mea dicta probas.
Ingenii ut cernis facilis, mentisque serenae,
Praestantem studiis, iudicioque gravem.
Protinus exclamas: hic, hic mea sacra deinceps,
Qui mihi devoto pectore tractet, erit!
Quid patres patriae servet, quid regna, docebit;
Unde gravis populos saepe ruina manet.
Tollere quid valeat subiti discrimina casus,
Quidve togam soleat, quidve decere sagum.
Aetas quid celebret praesens, quid cana vetustas;
Ut varient rerum saecula cuncta vices.
Quid pulchrum exemplis multis, quid turpe, recensens,
Par fiet meritis hac statione viris.
Et quisquam dubitet, quin vera est diva locuta?
Aut aliquis, lustro quae patuere, neget?
Moribus ingenuis, et idonea dicere vitae
Gloria non ullo tempore parva fuit.
At mores habuisse bonos, praeceptaque vitae
Maior erit factis edocuisse suis.
Haec quoque laus Dienes te ornat; merito tibi sertum,
Quod deceat summos teximus inde viros.
Aureus at Phoebus medio sublimis Olympo,
Non caeca tectus nocte, calore beat.
Nauta mari tumido, miles spectatur in armis,
Quid valeant humeri, grande probabit onus.
Dum tacitus vivis, nec te urget publica cura,
Blanda tibi vitae tempora saepe fluent.
Sed praesis, tua tunc virtus celebrata patebit,
Si media prudens noveris ire via.
Si non suspicio, si non te vexet amara
Asperitas; homines, quos regis, esse, memor.
Propria tunc solum non sint tibi commoda curae;
Non tua communi subtrahe colla iugo.
Praevius agminibus ruit in discrimina, veri
Quem ducis exornat, marte favente, decus.
Nec vanus tituli capiat tua lumina fulgor;
Iusta negans aliis nec cumulabis opes.

Ferreus est lacrimis fratrum qui nomina clara
Mercatur: carum si iuvat esse patrem.
Non sic emeruit Proculeius vivere semper;
Fratribus addixit corda paterna suis.
Ultima pene illos insontes pressit egestas,
Villa, domus, populi praeda furentis erant.
Nullus erat sortem miseratus, nullus egenis,
Qui placidam Romae tendere curet opem.
Ille bonus, dixit, quae sunt mea, credite vobis
Propria: sic frater fratribus ille fuit!
Talem te, Dienes, merito veneramur amantes,
Talem te merito fama diserta vehet.
Tu mitis placidusque tuos teneramque iuventam
Musarumque aedes tectaque nostra regis.
Arces quodque nefas, removes procul omne profanum,
Princeps cura tibi est cum pietate Deus.
Inde nitor nostris accedit saepius aris,
Aemulus inde piis cordibus ardor inest.
Tu pater es miseris, afflictis dulce levamen.
Quid mirer? si te summus et imus amet.
Fluctibus e mediis ereptam rite carinam,
O mihi! quam tuto litore, care, tenes.
Vita gregi tenero, duce te, sociisque revixit:
Candida nos circum paxque quiesque volat.
Non quemquam exanimant caperata fronte querelae;
Munere quisque lubens itque reditque suo.
Commoda quid memorem? quae curas ipse tuorum:
Hoc tibi non aetas viderat ulla parem.
Quo studiosa cohors tali ductore feratur
In musas animo, quis resonare queat?
Testis musa mea est, duce te quae nata, fovente
Te, laetos ardet fundere saepe sonos.
Haec eadem dum festa tibi lux emicat, ecce!
Stelligeris properat vota litare polis:
Vive Deo, patriae, sociis iuvenumque catervae;
Cunctis quippe placet, caraque vita tua est!

Elegia VIII.

Ad Martinum BOLLA *scholarum piarum provincialem, quo agente I. Gramm. schola per archi episcopum Coloczae fundata fuit 1828.*

Bis duo lustra suam properant pertingere metam,
Credita quod, praeses, nostra carina tibi est.
O! ego si valeam, quae viximus, aurea lustra
Venturis digna commemorare chely!
Dicere: quam placido complexus pectore fratres,
Quam fueris iusti propositique tenax.
Dicere: quam semper, siquos vada caeca latentes
Obiicerent scopulos, vincere fortis eras.
Dicere: quam ubertim fuerint decora alta benigno
Te patre, te vigili praeside nata tuis.
Haec referent alii: me nostris proxima tectis
Caussa movet gratos ore ciere sonos.
Saepe boni fratres: invita, crede, Minerva
Sudamus, soliti dicere saepe mihi.
Ponere conamur molem sine fundamento;
Quis non conatus riserit usque pios?
Parcite, dicebam, suspiria fundere vestra,
Praeses, qui curas pectore tollat, erit.
Tempore parva seges messes succrescit in amplas,
Uva prius tristis tempore dulcis erit.
Iamque serena dies, quia, praeses, longa fugaras
Nubila, sollicitis fratribus orta fuit.
Ecce! patent portae, quae pignora parva parentum
Excipiant, teneris instituenda sonis.
Quodque patent, repletque novus nova tecta susurrus,
Gloria semper erit nominis ampla tui.
Hanc gratae celebrant urbes, hanc oppida multa,
His voces miscet grata Colocza suas.
Vive decus, clamat, patriae, sidusque tuorum!
Vive piis columen praesidiumque scholis!
Nec solum clamat, sed sacros peetoris aestus
Ad summi tollit numinis usque thronum.

Idque alias semper, nunc, dum lux sacra refulget
Martini, haec eadem vota iterare cupit.
Et, rata si fuerint superis (quod poscimus omnes)
Quid? nisi nos deinceps aurea lustra manent.

Elegia IX.

Ad Martinum BOLLA, *vice septima evolutis semper totidem trienniis, provincialem scholarum piarum communibus votis electum 1829.*

„Bolla manet (vox multa sonat) decoratus honore
Praesidis eximio post quoque Bolla manet!“
At iam iam superat denos hic bis quater annos,
Viribus exhaustus canitieque gravis.
Et cupit ipse suam religari ad littora puppim,
Qua patribus vexit commoda multa piis.
Et satis est clavos per bis duo lustra volantis
Inter tot fluctus sustinuisse ratis.
Quid tamen est, hunc quod communia vota reposcant,
Praesidioque velint vivere, Bolla, tuo?
Ergo senes tantum prima bene sede locantur,
Iusque in hos semper praecipientis eat?
In senibus tantum mens opportuna regendo est?
Obsequium iuvenis praemia magna vocet?
Atqui, dum fractae languent in corpore vires,
Ingeniis acies, et vigor omnis abit.
Desine, dum moneo, mores lacerare seniles,
Quisquis es, et canum devenerare caput.
Ista decens gravitas, venerandae in vultibus istae
Rugae, plus nitida fronte decoris habent.
Illic maiestas, illic secura morantur
Et mens et ratio consiliumque sagax.
Non etiam fallunt oblivia: nam bene norunt,
Quantum auri soleant condere, quove loco *).

*) Nec vero quemquam senum audivi oblitum, quo loco aurum obruisset: ingenia senibus, modo permaneat studium.
Cic. de Senectute Cap. 7.

Lingva, manus, oculi sunt instrumenta: sed horum
Quam facile exhaurit mens generosa vices!
Lumine cassus erat, sed plus quam curia vidit
Appius in tenebris, Romaque salva fuit.
Inter Peleiden qui tollat et inter Atreiden
Lites, quive acuat pectora, Nestor erat.
Tantae virtutis, quanta olim vixit Achilles,
Cui, nisi Chironi laus tribuenda seni est?
Nil opus est senibus iuveniles ferre labores:
Quin tamen his, dicas, otia lenta fluant.
Arma ferox iuvenis fulgentia stringat in hostes;
At, senior iuvenum temperet arma, velim.
Dum iuvenes validos ducunt ad pectora remos;
Si clavos senior dirigat, usque sat est.
Aut haec siquis agat, nil est egisse putandus?
Aut ius hoc senibus cum pietate neges?
Si tibi dulce fuit patria succrescere cura,
Dulce sit et tremulum sustinuisse patrem.
Nec pudeat timuisse minas, nec pectore promto
Consilia, aut siquid iusserit ille, sequi.
Et quantum imperio est usu consuescere longo!
Et dudum adsuetum quam bene fertur onus!
Sic est care pater, praeses quoque care tuorum,
Quo salvo nobis vivere dulce fuit:
Quamvis extremae teneant confinia vitae,
Usque tamen cupimus te duce porro frui.
Non petimus vegetas annoso in corpore vires;
Sed quae maturo pectore cura sedet.
Scilicet eligimus iam sponte fluentia poma:
Amplior e patulis floribus exit odor.
Purpurei veris laus magna est; plus tamen illo
Frugifer autumnus semper honoris habet.
Hac tu nos cura sollers recreare solebas,
Haec, Martine, tibi nunc quoque tota viget.
Quin, quo plus membris detraxit iniquior aetas;
Aequior hoc mentis dotibus illa fuit.
Hae quoque defuerint, nutus bene noscimus ipsos:
Quippe leve est nota currere cuique via.
Tu modo, tu praesis; parendi gloria nobis
Semper, dum vives, grata recensque manet.

Elegia X.

Ad Ioannem Bapt. GROSSER *insolita votorum consensione provincialem scholarum piarum in capitulo provinciali primum electum. 1832.*

Cura sumus coelo: plausus geminate sodales,
Et date votivis thura cremanda focis!
Monstrarunt superi, viduas quae prendat habenas,
Quae siccet lacrimis ora rigata, manum.
Luximus, adnisi fletu tenuare dolorem,
Bolla, tuorum avido cum raperere sinu.
Ecquis erit, gemitus inter clamavimus, orbam
Nauclero, simili qui regat arte, ratem?
Viderat is, iamiam suprema nocte premendus,
Quae teneat nostrum sollicitudo caput;
Colligit extremas vires, et voce paterna:
„Non est, quod laceret pectora vestra dolor.
Nostra manet vobis, inquit, propensa voluntas,
Et dubios animis apta fugare Notos.
Dummodo, quae vestrae fuerat mihi cura salutis,
Vestra meo voto iungere vota queat.“
Illa, pii patres, tandem lux alma refulsit,
Quae sociat nexu candida vota sacro.
Vota, patre orbatis, placidum donantia patrem,
Publica quem pariter voxque Deusque probant.
Qui sit non ficto complexus amore sodales,
Quemque horum semper mutuus ussit amor.
Foverit illorum nunquam non pronus honorem,
Egregiis factis quem peperere sibi.
Aurea quem linguae commendet suada; nec, ampla
Quam sit doctrina, relligione minor.
Et moveant facilem pallentia supplicis ora;
Quin tamen a iusto tramite flectat iter.
Quique, catus velis Zephyros captare faventes,
Fluctibus immites tutus ararit aquas.
Nec, quamvis picea velet ferrugine coelum
Auster, et attonitae spesque salusque labent:

Horreat instabili committere carbasa ponto,
Nil dubitans iustis rebus adesse polos.
Talis adest vobis teramatus Grosser: in illo
Quam bene iuncta patrum nomine vota sonant!
Quam vigili curanda salus concreditur Argo!
Quam Tiphy gnavo nostra regenda ratis!
Vidimus hunc grandi curarum mole gravatum:
Quis tantum potior sustinuisset onus?
Scilicet, imposito ut palmae sub pondere, in altum,
Immemor usque sui, fortior urget iter.
Nec satis ipse suas audax intendere vires;
Provocat exemplo pectora quaeque suo.
Sic praeit expansis pullos Iovis armiger alis,
Quasque faces spectent, conspicit ipse prior.
Emicat ante truces sic primus Martis alumnos,
Siquem ductoris lausque decusque manet.
Testis eris clarum Szegedinum, testis et Óvár,
Urbsque piis Pestum semper amica scholis.
Hunc aliquis cernens in quaevis ardua natum:
Hic, primo praeses tempore fiet, ait.
Iste suis quondam saturnia lustra reducet,
Legibus iste suos iustitiaque reget.
Amplius increscet patrum bona fama piorum
Hoc duce, non ullo praeteritura die.
Num vana hoc illi praedixit ab ilice cornix?
Et non, quae virtus pectore multa tuo est?
Illa regens animos rarae facundia linguae,
Nominis eximii gloria, frontis honos:
Ille ardor patriae communia vota fovendi,
Artibus ingenuis ille sacratus amor:
Quid? nisi te caro signant pro praeside, Grosser,
O lux, o patribus prima columma piis!
Iamque tuas laudes Budae iuga celsa resultant,
Et sibi de curis commoda nata tuis.
Commoda, quae seri celebrabunt saepe nepotes,
Aurea tollentes nomen ad astra tuum.
Interea pater, et praeses teramate vocari
Asuesce, et nostrae perge favere spei.
Et facies: spondent cor nobile, firmior aetas,
Et studium patriae mensque benigna tuis.

Sic tibi cumaeos excurrat vita per annos,
Sic velis faveant sidera cuncta tuis.
Sic calasanctinos fastos virtutibus implens,
Et divum atque hominum digna favore geras.

Elegia XI.

Ad Alexandrum KOPPY, *philosophiae et medicinae doctorem collegiatum universitatis vindobonensis, dum uxor eius, et filius philosophiae candidatus eodem funere efferrentur 1834.*

Ambo iacent (proh fata!) uxor hinc, filius illinc,
Eiusdem spolium temporis, ambo iacent.
Ah! ubi sunt lacrimae, gemitus, lamenta, dolores?
Ah! ubi verba, quibus maesta Thalia vacet?
Dimidium vitae atque animae cito perdere quantum est!
Hoc aliquis merito dixerit omne malum.
At natum pariter, sed tempore perdere eodem,
Dicite, num vulnus grandius esse queat?
Forsan erit, quem non adeo sors dira movebit,
Qui siccis videat funera bina genis?
Nullus erit: nec enim non cernit tempora vitae,
Quaeque dat haec, labi more fluentis aquae.
Ipse quidem cunctos affligis casus acerbe,
Atque oculos lacrimis quosque madere iubes:
Sed tamen heu! duplici quem laedis vulnere maius,
Quam ferat hoc animus quamlibet altus, habet.
Clamat amans: coniux quo me percara relinquis?
Cur properas carum linquere, nate, patrem?
Necquidquam clamat! vox non auditur utrinque,
Fractaque, quin clamet, comprimit ora dolor.
Eia dolor, sine tam iustas iterare querelas,
Cede, fluant lacrimae coniugis, atque patris.
His animus, quem nulla iuvat medicina, levatur:
Scilicet afflicto tempore dulce queri est.
Atque ubi defunctum est his pectus, forsitan illud,
Aspera quo coeant vulnera, tempus erit.

Coniux atque pater, non iam pater, et neque coniux!
Quis tibi restituet nomina tanta Deus?
Ecquis erit placida relevet qui voce dolorem?
Aegris nempe animis pharmaca nulla valent.
Ergone perpetuae lacerent tua pectora curae,
Et lacrimis nequeas ponere iura tuis?
Forsitan haec alios sors frangeret: at tibi Koppy
Altior in forti pectore sensus inest.
Hunc tibi relligio coelesti sede profecta,
Hunc multo ratio culta labore dedit.
Soles nempe vides quosvis properare fugaces,
Quaeque dat his terris, mox rapit inde Chronos.
Vita haec siqua parit solatia, nulla perennant,
Infirmo nutant gaudia nostra pede.
Felices, quorum post aequora victa carinas,
Fluctibus ereptas, litora tuta tenent!
Litora, quae affectum non horrent turbine saevo,
Invidus haud potuit quaeve subire Notus.
His tua nunc coniux in sedibus ecce! locata
Innocuo recipit gaudia pura sinu.
Quodque pium cumulet sensum, non sola; sed illi
Natus, sorte pari, stipat ubique latus.
Ite pii manes, divino nectare vestram,
(Nam meruistis idem) rite levate sitim.
Hoc pietas vobis, hoc labis nescia vita,
Hoc studium recti relligioque flagrans,
Hoc prona afflictos semper relevare voluntas
Porrigit, hoc candor mensque revincta polis.
Tu vero, donec sors par, laurusque coronet,
Vir bone, fac, superis debita thura lites.
Scis bene, quam fuerint coelo mortalia curae;
Scis bene, quam mira nos regat arte Deus.
Fortibus, ut nosti, pudor exspectare levamen,
Tempora debilibus quod nisi longa ferunt.
Quaque potes, vegeto valeas ut corpore, cura;
Multis, nec nescis, est tua cara salus.
In partem, ut relevet, venientem respice musam,
Et, ne fors fustra congemat illa, vide.

Elegia XII.

Ad Ioannem Bapt. GROSSER, *scholarum piarum provincialem, dum exacto muneris triennio, novis iisque concordibus suffragiis ad prosequendum munus eligeretur 1835.*

Denique non fallunt vatum praesagia! dixi:
Grosser, qui patrum vota tenebit, erit.
Iam prius emeruit, doctorum praemia, lauros;
Iam prius eloquii clarus ab arte fuit.
Iam prius advertit securis lintea ventis;
Senserat hinc faciles credita cymba Notos.
Et ceu vere novo fragrantes Chloridos horti,
Ac Zephyris titubans laeta per arva seges
Gaudia spesque cient: sic doctae turba Minervae
Hoc duce castra petens, gaudia spesque dedit.
Addiderat curas vigiles, quae cara perenni,
Ut patriae urget amor, germina fonte rigent.
Non virtus celata manet: quin sideris instar
Lumine cincta suo, lumina cuncta tenet.
Fecundos circumque iacit cum luce calores,
Provocat et meritis praemia digna suis.
Et tua te Grosser musis procul inclyta virtus
Conspicua voluit promicuisse face.
Inde, gubernator summa qui puppe sederes,
Accersita patrum tota corona vovet.
Sic aurum et gemmas, decorent ut sceptra ducesque,
Emeritam ad lucem vota laborque trahunt.
Sic lumen tumido iactatis aequore, nefors
Praeda maris fuerint, explicat alta Pharos.
Ipse etiam Titan, sparsurus latius orbi
Lumina, flammiferos altior urget equos.
Felices dono superum sortisque favore,
Principe fas quibus est dicere iura loco!
Vos quaerit veluti praesentia numina, vobis
Turba minor flexo est obsequiosa genu.
Vos queruli fusas lacrimas siccare doloris,
Promtaque vulneribus pharmaca ferre iuvat.

Vindicibus vobis stant leges iuraque: morum
Hinc viget integritas, hinc bona fama venit.
Iamiam lapsuris fortem supponere dextram
Gloria nullo non tempore vestra fuit.
Quid stimulos memorem admotos virtutibus? orta est
Unde salus populis, unde perenne decus.
Tot titulis magnum vobis obstringitis orbem:
Et, qui sic meritos non veneretur, erit?
Impune hoc alter neglexerit: at mea tales
Assidua colito cum pietate chelys.
Nil te Momus iners, nil mordax lingua moretur.
Invenies, pietas quos iuvet ista, viros.
Quin pudeat lentam solito desistere cursu,
Dum nova se lauris pandit arena tuis.
Aspicis, ut cumulent ferventia vota sodales,
Queis tenera nomen de pietate venit?
Laudibus ut flagrent palmas ornare decentes,
Contulerant, Grosser, quas nova vota tibi?
Scilicet ille, piae felix Cynosura carinae,
Eripit exacta fluctibus arte ratem.
Prospicit et ventos velis remisque faventes;
Evitat scopulos caecaque saxa catus.
Haec inter superat curas, et dura viarum
Sustinet, atque ubivis, ceu novus Argus, adest.
Nunc animos addit, nimios nunc temperat aestus,
Nunc media stimulat currere quemque via.
Dumque fovet meritos; tristatur praemia dignis
Addere si nequeat, sorte vetante, viris.
Interea semper, quid rex, quid patria poscant,
Votaque dicta polis, ore disertus habet.
Ergone mirabor, patriae si lumina prima
Convertant radios ad pia castra suos?
Si promtas animent vires ad praelia; nequa
Praevaleant fluctus, styx violenta, tui?
Si magnis animis duros tolerare labores,
Contendatque suam quisque subire vicem?
Est aliquid musis iustos dare thuris honores,
Est aliquid Daphnes promeruisse novas.
Aegris ex animis blando ore fugare tumultus
Et consternatis spes revocare suas.

Noctes atque dies totum se credere curis,
Quae fructu pariter lustra futura beent.
Haec tua magna quidem, sed quantula gloria, Grosser,
Ex his, quae duce te percipit ordo pius.
Annon ergo tibi bene credita nostra carina est,
Non minus ut deinceps aequora tuta secet?
Non deeris Nestor nobis, non Hector ut alter
Intrepida primus praelia fronte petas.
Imo etiam (rarum!) vives Podalyrius ipse
Tollendis melior, quam medicina, malis.
O hic quanta novae sese explicat area laudis,
Curriculo tute vix adeunda meo!
Vidimus adstantem maestis, qui nempe tenebant
Morbis aut senio languida membra, toris.
Et dum nullus erat, qui pharmaca porrigat, et qui
Longa levet morbi taedia, solus eras.
Quin semel atque iterum properantem vidimus almam
Laturum adflicto sortis et artis opem.
Non hiemis vetuit rigor, aut via longa morata est;
Non iustum, propriae cura salutis, opus.
Quid praestare parens dilecto sedula nato?
Quid plus qui inter nos numinis instar agunt?
Ferreus est, quem non moveant tam facta decora,
Votaque, qui renuat promere, ferreus est.
O pater! o praeses! non haec pia corda negabunt,
Quae te propitii sideris instar habent.
Vive! animo simul et concordi voce precamur,
Consiliis adsint astra secunda tuis!

Elegia XIII.

Memoriam recolens Hieronymi PINTÉR *e scholis piis praematura morte erepti 1838.*

Quo fluitis lacrimae? procul hinc procul ille quiescit,
Quem propter toties lumina nostra madent.
Ite piae lacrimae! quondam mihi siqua doloris
Causa fuit, nunquam iustior illa fuit.

Carus amicus obit — cadit heu! pars altera nostri;
In nos an potuit grandius ire malum?
Riserit haec aliquis; nil miror: scilicet illi
Nullus amicitiae foedere vinctus erat.
At mihi per terras si quidquam carius illa est,
Quae stabili iungit pectora pura, fide?
Hac sine quid vita est? labor est, aut plena timoris
Acta, vel insanis saeva procella Notis.
Navigat infestis tua forsan puppis in undis?
Ista, vide, praeeat lucida stella viae.
Quae faveat velis, fido qua es iunctus Achati,
Aurae, crede mihi, tutior usus erit.
Dulce queri est? dabit hic patientes questibus aures,
Quaeve tibi siccet lumina maesta, manum.
Forsan Apollinea poscis miser arte levari?
Illius panacem dextera promta feret.
Assidet et fesso placidus, comes ibit eunti,
Et dubias tecum fertque feretque vices.
Sensisti Damon, quid amici gratia possit,
Et tu, cui Pylades vinctus amore fuit.
Ipse Menaetiaden ultus nisi fidus Achilles;
Haeserat Euryalus non nisi, Nise, tibi,
Eheu! dum nexos pietate recordor amicos,
Ut novus invadit pectora nostra dolor!
Nempe subis Pintér, merito carissime nobis,
Et subeunt tecum tempora ducta mihi.
Iamque sinus videor mihi rursus adire fideles,
Oscula iamqua meis sentio fixa genis.
Iamque tuis nostrae mulcentur vocibus aures,
Aut ibi missa sonat saepius alma salus.
Per iuga, per valles, saltusque erramus iidem;
Falluntur iunctis taedia longa viis.
Absentem quaeris, lateri praesentis adhaeres;
Me sine nulla tibi surgit, abitque dies.
Quod modo te nobis rapuit male numen amicum,
Et properam sine me suasit adire viam?
Quas sine te lacrimis horas modo duco madentes,
Cum lepidis poteram ducere forte iocis.
Laetari nivea pietate, fideque; nec acer,
Orba quis excruciet pectora nosse, dolor.

O mors crudelis! nimium crudelia fata!
Nil vos, vita mihi tam pretiosa, movet?
Illius at moveant dotes: candorque pudorque,
Quivé pius toto pectore flagrat, amor.
Et studium patriae, et tenerae devota iuventae
Cura, vigorque viri singula membra fovens.
Necquidquam! meritis non est placabile fatum.
Iacta super tumulos irrita vota cadunt.
Pirithoum Theseus frustra revocare laborat,
Victima qui Diti iam semel occubuit.
Orphee saxa, lacus poteras et ducere silvas:
Sed tamen Eurydicem de Styge non poteras.
Praeterit hora fugax, et nostrae tempora vitae
Diminuit. Fallax, et breve vita bonum est.
Caesare sis maior, sis Hercule fortior, esto
Croesum opibus vincas, et pietate Numam:
Tela manus, animi pectus, validosque lacertos
Robora destituent, sertaque docta caput.
Persepolis cecidit; vix Poeni est nominis umbra:
Non stat et ipsa suo Roma superba loco.
Omnia fert secum tacito pede lapsa vetustas:
Et tua, mi Pintér, vita caduca fuit.
Novi equidem; et siccus fluxa omnia mente revolvo:
Elicit aet lacrimas nomen, amice, tuum.
Tu mihi sermo frequens, te vox mea saepe reposcit;
Praesentem sistit noxque diesque mihi.
Hic stetit, hic sedit, memoro, sic ora ferebat;
Hoc dedit, hoc a me pignus amoris habet.
Quodque tuos recreet manes, suspirat ademptum
Pene sodalitii tota corona pii.
Et qui te facilem, qui te novere labanti,
Quae revelet, promtam cuique tulisse manum.
Praecipue iuvenes, quondam tua cura, Deique
Grandiloqui ingenuo, te duce, grata choro:
Nam quid commemorem fratres, quid sanguine iunctos?
Te quibus ante diem sustulit atra dies!
Accipe (si quid id est) nostri monimenta doloris,
Quas tumulo inferias mittimus ecce! tuo.
Aeternumque vale! sed enim memor usque tuorum,
Donec nos iterum iungat amica dies.

Elegia XIV.

Ad natalem Ioannis Bapt. GROSSER *scholarum piarum per Hungariam et Transilvaniam praepositi provincialis 1844.*

Bruma riget; sed nos tenera pietate calemus.
Quae ratio est? patris pectora torret amor.
Torret amor semper: sed enim sunt tempora, flammae
Dum cordis tacita sede latere negant.
Erumpunt, altique fores rimantur Olympi,
Halantes summo thura cremata Deo.
Sic est: n a t a l i s t u a praeses provocat omnes,
Quas pietas et amor possidet usque faces.
Cumque lyra buxos urget per carmina solvi,
Siquid id est, meritis iusta tributa t u i s.
His t u noster amor, columenque, salusque vocaris,
Atque piae fulgens, certaque stella ratis.
Quaque novae gaudent t u a cingere tempora lauri,
His nova succrescit concelebranda seges.
At mea, promta prius, tardabis musa recentis
Ad s a c r a n a t a l i s, quo licet, ire pede?
Quin propera: non te curae, non longa moretur,
Quamlibet assiduae, vix superanda via.
Tempestiva licet, fueris pars quantula! tardam
An non ex merito gratia nulla manet?
Tempore tarda licet venias; pietate sed ima
Non ego post primam te superesse volo.
Sitque ratum hoc superis. Sic aurea tempora nobis,
Hoc patre quae fuerant, tempus in omne fluent.

LECTORIBUS. BENEVOLIS.

RELIGIONIS. SUMMO. NUMINI. DEBITAE.

STUDIOSIS.

CLASSICAE. PRAESERTIM. LATIAE. LINGUAE. AC.

LITTERATURAE.

CULTORIBUS. ET. AMICIS.

FORTUNATIS. APPLAUDERE. ADFLICTIS. AGGEMERE.

PRONIS. ET. PROMTIS.

IUVENTUTI. PATRIAE. TAM. IN BONARUM.

ARTIUM.

ET. SCIENTIARUM. ELEMENTIS.

RITE. FORMANDAE.

QUAM. ET.
PRAECIPUE. MORUM. INNOCENTIA.
APPRIME. EXCOLENDAE.
SOLLICITIS. ET. ADDICTIS.
ATQUE. ITA.
VENTURAE. QUOQUE. AETATI. OPTIME.
CONSULENTIBUS.
SALUTEM. CUMULATISSIMAM.

ELEGIARUM
LIBRI QUARTI

Elegia I.

Ad Martinum BOLLA *provincialem scholarum piarum, qua Szigetho ex Marmatia Tatam ad matrem invisendam facultatem petit auctor 1812.*

Mittitur extremis patriae de finibus ista,
Quae canit ante tuos parva Thalia pedes.
Non canit arguta laudum praeconia buxo:
Scilicet est vestris laudibus illa minor.
Plena nec assiduis profundit verba querelis:
Non est pacifici pectoris usque queri.
Vota precesque sinus infundit, praeses, amatos.
Exorant ipsos vota precesque Deos.
Est mihi cara parens, viduos quae transigit annos,
Quae simul absentis flagrat amore mei.
Nec minor in nobis pietas, nec cura videndi
Et desiderium, mater amata, tui.
Optas tu natum mutata veste, statuque
Cernere, et alloquio spes animare tuas.
At mihi, quo tenero me gratum tester amori,
In votis aliquid sanctius esse queat?
Idque ego praesentem iam te percare rogavi
Praeses; at heu! venti diripuere preces.
Nunc mihi nulla quies: voto illa calentius instat;
Me simul, ac alias, acrius urit amor.
Erubui, vultus lacrimis maduere sinusque,
Nuper dum matris talia verba lego:
„Hei mihi! sex genui, sed iniquo sidere proles:
Scilicet una manet, nec tamen illa manet.

Vix etenim pueri teneros bene fovimus annos,
Destituit patrios, sorte volente, lares.
Iamque quater secuit maturas messor aristas,
Cernere, quin liceat te, bone nate, mihi.
Dum lacrimas inter viduas transmittimus horas;
Te procul a nobis terra remota tenet.
Non precor, ut mecum traducas tempora vitae;
Ad nos si venias muneris instar erit.
At vero prohibent maiorum iussa, reponis?
Adde preces votis, vota precesque movent.
Saxea nec resident maiorum pectore corda:
Credo, nec hos penitus, quid sit amare, fugit.
Ipse quidem tentans curas mihi demere, tempus
Post breve maternos, scribis, adibo sinus:
Sed mihi Parca minax instat iam; longior anno,
Dum natum expecto, quaelibet hora mihi est.
Septenos decies iamiam superavimus annos:
Quae mora non fuerit, dic rogo, longa mihi?
Accelerat tumulum dilecti absentia nati.
Curis maternis spicula mortis emo!
Me miseram! perdo querulantia denique verba.
Ah! nostros natus tardat adire sinus.
Vivite felices, prolesque educite matres!
En! mea me matrem pignora morte petunt.“
Ferreus ipse forem, saevisque ferocior ursis,
Ni moveant pectus talia verba meum.
Mater flens oculis semper vigilantis inhaeret,
Et querulam sistit noxque diesque mihi!
Ergo ego sim mortis maternae causa futurus?
Absit, et ossa mihi contegat urna prius.
Et tamen id fiet; si non te, praeses amate,
Et nati et matris tristia fata movent.
Ah moveant! et sim facilis pars unica mentis,
Supplicibus verus qua pater esse soles.
Quo minuas curas, et sanes vulnus utrique:
Parce mihi optatam iam prohibere viam.
Sic mihi, sic matri nova vita redibit amatae:
Sic tibi iucundo carmine gratus ero.

Elegia II.

Pia ad beatam virginem Mariam suspiria vi morbi ad extrema ferme redacti 1813.

Alma parens Iesu, mater mihi semper amata,
Et precibus semper rite vocata meis.
Quod facis innumeris, qui te accessere precantes,
Auxiliatricem mi quoque tende manum.
O regina poli cunctis fulgentior astris,
Atque tui nati mater amata Dei!
Aspice, quam diri crucient mea membra dolores,
Ut iaceam tristi fixus adusque toro!
Aspice, quam nulla possit Podalyrius arte,
Horrida, queis vexor, pellere tela mali.
Tu mihi (nam miseri spes in te tota recumbit)
Propitiam adflicto porrige mater opem.
Ad te confugiunt, quorum praecordia febris
Torret, nec vacuos virgo redire sinis.
Mille malis pressi te clamant mille; nec unus,
Cui tua non adsit, dicere, dextra potest.
Me quoque tot gratos inter numerato clientes,
Quos obstrinxerunt tot benefacta tibi.
Nec mihi, quae gratum doceat, pietasque, precesque,
Nec votis deerunt carmina iusta piis.
Non (equidem fateor) splendentia dona, nec aedes
Magnificas tenuis ponere dextra valet.
Est mihi (sitque precor) pectus, quod flagrat amore,
Flagrabitque lubens, virgo Maria, tui:
Hoc tibi devotum vultu, quo cuncta serenas,
Quove iuvas miseros, contueare precor.
Hoc tibi, sive rubens venturum nunciet Eos,
Seu vitreo mergas aequore, Phoebe, comas:
Assiduis gratum precibus, votisque probabit,
Nec poterit laudes non iterare tuas.
Fallor? an immensi nati te numen adire,
Proque mea video, diva, salute loqui?

Sic est. Cunctarum o! virgo mitissima rerum
Pro me, quo valeam corpore, verba facis.
Nec mora: iamque febris torquens mea viscera, tetro
Spicula quae tinxit felle, repente legit.
Utque pavens cervus venantum tela, recedit,
Ad nutum fugiens, virgo benigna, tuum.
Dic mihi, diva potens, tanto pro munere grates
Persolvam quales? qualia dona feram?
Cor tibi devoveo, cumque illo me quoque totum,
Et vitam et vitae tempora cuncta meae.
Munere de vestro haec teneo, tibi dedico rursum.
Esto, precor, posthac mater, ut ante, mihi!

Elegia III.

Laudes Tibisci 1820.

Itala si Tyberim, Ligerim si gallica tellus,
Si germana Albim fert super astra suum.
Russia si Tanaim iactat, si cara polono
Vistula, si Turcis Unna, Pruthusque placent.
Hungara num dubites carum celebrare Tibiscum,
Iure meum flumen quem vocitare soles?
Si sapis, huic primos merito depromis honores,
Hic soli praebet commoda prima tibi.
Carpatus hunc generat, crescentem Marmata tellus
Excipit, et lignis, et sale saepe gravat.
Quaque patent Ugocs, atque Szabolcs, Csongrádque Csanád-
Quaque Torontaliae pingvia rura plagae; (que,
Dives Samusio, Kraszna, Hernád, atque Saione,
Bodrogo, Zagyva, Marusio, Chrysiis;
Per varios flexus tacitis delabitur undis,
Dum subeat vestros, Ister amate, sinus.
Flacce, tuam cuperem musam praeclara sonantem
Undas ob vitreas nomina Blandusiae:
Hoc per iter quantis cumuletur patria donis,
Ut valeam digna rite sonare chely!

Sic humiles solet alta cedrus superare myricas,
Ut superat reliquas iste Tibiscus aquas.
Vix primos fontes, praecelsa cacumina, linquit,
Mox placido vastum tergore gestat onus.
Robora, vel pinus, vel longas devehit alnos,
Deservituras usibus, Hunne, tuis.
Progreditur, lymphisque novem sociatus, iisdem
Íz dictis, patrio nomine Tíz-a sonat.
Iamque rates celeres sale multo cernis onustas
Illius vitreum findere saepe vadum.
Dum praetergressus montes, per aprica vagantes
Diffundit ramos, arvaque sicca rigat.
Innocuas igitur frustra culpaveris undas,
Ni, quod profuerit, fors nocitura putes.
Quantum diffugiens de latis demserit agris;
Munifica tantum dat nova dona manu.
Apta foco tectisque frequens hinc surgit arundo,
Iuncus pro calathis optimus inde viret.
Hic scolopax, hic anser, anas, variaeque volucres
Agmina per campos ducere densa solent.
Si grandes videas puppes volitare Tibisco,
Scito novis patriae velle studere modis.
Hae fumo utilibus complentur saepius herbis,
Nunc fruges, fructus, tigna, trabesque vehunt.
Dum procul his populi sors dura fugatur egentis,
Accumulat pulchras ditior omnis opes.
Parva cano, quamvis merito sint maxima, vestras
Dicere si laudes, care Tibisce, velim.
Cuncta solent passim positas excedere ripas
Flumina, nam tumidas quid prohibebit aquas?
Est etiam proprium naves, et commoda regnis
Ferre, quibus fluviis Thetis amica favet.
At sapidos, quorum tibi copia maxima, pisces
Non, ut tu, quodvis flumen habere solet.
Lucius hic salmoque frequens, acipenser et huso,
Sturio cum cancris, carpio, perca natant.
Non mihi credetis; sed credite vera loquenti,
Vix superat pisces ter levis unda suos.
Vicinis hinc ille plagis, hinc ille remotis
Vivos vel siccos suppeditare valet.

Arida sive sitis fuerit sedanda, molestas
Tollere seu labes corpore rite velis;
Torrentis vel forte canis te stella fatigat,
Aptior haud fuerit, qua recreeris, aqua.
Quanta per hunc patrias illustret gloria terras,
Id Szegedinum te teste cuique liquet.
Non quia te patulis circumdat terminus arvis,
Atque tuo ridet mitior aura solo:
Sed quia piscoso praeterfluit amne Tibiscus,
Te peregre veniens visere quisque cupit.
Quod multas opibus dudum superaveris urbes,
Quodque hominum gremio millia multa foves.
Haec quoque quod ducant felicia tempora vitae,
Acceptum referunt iure, Tibisce, tibi.
Grandisonis sed ego haec celebranda relinquo camaenis:
Nostra solet tenui ludere cymba freto.

Elegia IV.

Monita vernalia 1827.

Verna dies rediit, maiali laeta calore;
Iamque diu squallens terra nemusque virent.
Dulce canunt volucres, vivos quoque carmine saltus
Mulcent, et nidos, gaudia verna, suos.
Flumina tecta prius glacie, nivibusque profundis
Praetereunt ripae culmina lata suae.
Quaeve gelu riguere diu, celer arva colonus,
Sedulus ut rigido vomere sulcet, adit.
Tondet prata pecus molli vestita vireto,
Et rapida sociam transilit agna fuga.
Quocunque aspicias genialis vita resultat:
Verna dies quidvis sic recreare solet.
Cernis, ut exiliat fulgor rutilantior astris,
Ipse etiam Titan purior axe micet?
Ut tepidis volitet quacunque Favonius alis,
Ut redeant silvis, arboribusque comae?

Quis queat eximios, pratorum lumina, flores?
Et salubres herbas quis numerare queat?
Si subeas hortum (quid culto pulchrius horto est?)
Quanta mirantem sedulitate capit!
Ambiguos calles, densos mirabere saltus,
Perque aestum viridis qualibet umbra iuvat.
Hic humiles frutices, hic te dumeta morantur,
Hic fugiens retinet garrulitate latex.
Lilia quid memorem, varias violasque rosasque,
Quae patulas gaudent cingere quaque vias?
Haec, studiosa cohors, avidis dum cernis ocellis,
Dic, age, quis sensus pectora pura subit?
Mirarisne Deum, cuius tam mira potestas?
Cuius, quae cernis, dextera cuncta regit?
Ille dedit riguis campis, herbisque vigorem,
Ut medicis valeant viribus, ille dedit.
Illius resonat laudes, dum voce canora
Nocte dieque vocat Daulias ales Ityn.
Quod Zephyri properent molles rivique fugaces,
Quid? nisi stelligeri dextra benigna poli est.
O, age, flecte genu, et numen venerabile adora,
Numen, cui laudes terra polusque sonat.
Erige de limo, quae mens tibi sidere nata est;
Fac, sis praeceptis obsequiosa piis.
Post superos primum genitoribus adiice cultum,
Proxima, qui format, cura magister erit.
Quis furor in puero caros cruciare parentes,
Proque pio duras reddere amore vices?
Quis furor in gnavos tetrica saevire magistros,
Fronte, quibus cordi vita salusque tua est?
At catuli placidas non laedunt vulnere matres:
Heu! pudeat brutis deteriora sequi.
Orphea Chionides Eumolpus semper amavit,
Carus erat Chiron semper, Achille, tibi.
Et tamen hos sanctae fugerunt lumina legis:
Tune potes, iuvenis, barbarus esse magis?
Quo praeceptorum, quo tendat cura parentum
Effugiant unquam pectora vestra, cave.
Coniunctis illi studiis, rigidoque labore
Accelerant sortis candida vela tuae.

Si monitis pares, si doctas Palladis artes
Assiduo studio condidicisse voles.
Si fas, atque aequum tenerae sit regula vitae:
Quid? nisi felices experiere dies.
Tunc mihi suadenti bene (quod te posco) precare,
Seu fuero, seu me fata fuisse volent.

Elegia V.

Funestum Colocae incendium 1828.

Quae miseranda vides suspirans busta viator,
Haec quondam Colocae comta platea fuit.
Aspice, et exhorre! sic urgent fata sinistra,
Dum fugit incautas sedula cura domos.
Mensis erat, quo annus medii prope terga leonis
Presserat, ingentes ore vomente faces.
Languebant homines, languebant prata, nemusque;
Nec pluvio coeli fonte madebat humus.
Ecce furens Caurus Boreae socia agmina iungens
Et terram et vitreas turbine perflat aquas.
Frangitur haec inter rapidi vis flammea solis,
Et messor ventum, quo recreetur, amat.
Et Colocza putres everrunt flamina nimbos:
Nec tamen ambiguo tecta timore vacant.
Quippe calor nimius flammis alimenta ministrans
Arida, Vulcani subiicit ipse metum.
Atque utinam vigilis monitu mens promta fuisset,
Moxque ubivis patulis unda parata cadis!
Nunc minus ingemerent lugubri sortis acerbae
Ictu deiectae, squallida busta, domus.
Nec miseros cives tristis vexaret egestas,
Nec peterent modicam supplice voce stipem.
Non madidos vultu, laceros non veste videres;
Non alios coleret plebs miseranda lares.
Coelo aliter visum est. Dum plurimus undique ventus
Irruit, et medios Cynthius urget equos.

Clamor it, et gemitus: Vulcanus saevit, et illi
Aeolii fratres, turba proterva, favent!
Mox confusa gravis terror per pectora cunctis,
Insinuat, nec, quid tentet, agatque, videt.
Pars ruit, et flammas primis in sedibus optat,
Si valeat, modica composuisse Thety.
Spectatum currunt alii, subitoque recurrunt,
Solliciti patrios eripere igne lares.
Tegmina dum nequeunt multi, servare laborant,
Interior siquid condidit ipsa domus.
Maxima turba ciet gemitus miserosque ululatus,
Necquidquam precibus sidera surda vocant.
Interea late flammae dominantur edaces;
Nil manus, aut undae, nil pia vota iuvant.
Nec te, cara domus, tutatur Hygeia praesens,
Cui debet medicam corpore lentus opem.
Nec Themis ipsa cavet, quin civica conflagret aedes;
Admoveat quamvis publica cura manus.
Iamque super nihil est, siqua penetraverat ignis.
Vis quoque ventorum iam furibunda iacet.
Si vacat exitii vestigia maesta videre:
Eia, age, luminibus singula cerne tuis.
Qua patulae nunc sunt plateae, callesque patentes,
Hac domus, aut hortis area cincta fuit.
Stipitibus terrent vici hac, portisque perustis,
Desertasque premit vasta ruina domus.
Isthac assiduis vidisses, ordine longo,
Tegmina textorum sedibus apta prius.
Hic platea media, siquid subducere flammis
Anxia cura studet, devorat ignis idem.
Aspicis hic stantes inter suspiria matres?
Stantes, namque tegit quodque sedile cinis.
Quaeque prius molli recubabant corpora strato,
Nuda fere nudo decubuere solo.
Hic quoque non plumis, non vellere tecta: sed eheu!
Tegmen adest coelum, sidera luce favent.
Plurima quid referam mala? quae si mente revolvam,
Mox hument lacrimis, sicut ab imbre, genae.
Quisquis amas opibus, vel cultis fidere tectis.
Si potes, i, certi te quid habere puta!

Elegia VI.

Monita autumnalia 1829.

Undique densantur gravidae super aethere nubes,
Imbriferis alis quas vehit ipse Notus.
Nec mora? iamque oculos fugiunt coelumque, diesque;
Turbo fremit, pluviis terra madescit aquis.
Grande lutum queriturque moras, quicunque viator
Autumni sero tempore carpit iter.
Haec Boreas buccas inflatus dum videt: Austrum
Tanta, inquit, dominum iura tenere sinam?
At mihi cur vires? cur septem regna trionum,
Si nequeam turmas opposuisse meas?
Dixerat, et solito maiore tumentis ab aestu
Ecce! furens Boreae magna caterva ruit.
Dumque ruit glacie constrictas increpat alas,
Moxque fugat toto nubila cuncta polo.
Lux modo grata redit, facies quoque caerula Olympo,
Nubibus in nigris quae latuere diu.
Sed simul acris hiems canis onerata pruinis
Atque molesta nimis frigora pone volant.
Quaque volant patulos hortos, camposque virentes
Ornatu viduant, et nemus omne suo.
En! laetis nuper circumdata frondibus ulmus
Triste stat, umbriferis despoliata comis.
Nec tristes vidui gemitus modo turturis audit,
Et neque defessis membra quiete levat.
Scilicet umbrosum Boreas decussit honorem
Quique vigor foliis vixerat, omnis abest.
Et iam morte levis foliorum turba furentis,
Ludibrium venti, qualibet acta volat.
Talia sollertis dum spectat cura coloni,
Num tremit, et dubius pectora languor habet?
Ast illi dites rumpunt pene horrea messes,
Et numerat multis dulcia vina cadis.
Laetitiae hinc illi est, hinc est quoque maxima lucri
Spes, et provisae commoda multa domus.

Straminis est illi pariter bene longus acervus,
Nec desunt patriis ligna vetusta focis.
Et dum se, natosque suos, dulcemque parentem
Natorum cernit, gaudia corde fovet.
Quippe videt duplici vestitos tegmine cunctos,
His nihil ut squallens bruma nocere queat.
Haec oculis cernens, musis addicta iuventus
Dic, age, quid sentis? mens tibi qualis inest?
Anne capis monitis te duci talibus, omnis
Ut vitae quondam tempora salvus agas?
Qui tibi nunc vigor est membris, oculisque, genisque,
Fallere, si credas, iste perennis erit.
Tempora labuntur, tacitis quoque lenta senectus
Passibus adproperat; vita, vigorque cadunt.
Ter tunc felicem! meritorum pulchra corona
Si fractum stipent et benefacta senem.
Ut nihil agricolis, quos tempestiva suorum
Cura tenet, navis usque deesse solet:
Nec tibi, quam cupias, bene condita copia rerum,
Nec deerit vitae fama decusque tuae.
Quin cineres etiam seri laudare nepotes,
Et discent nomen tempora cuncta tuum.

Elegia VII.

Ad Ladislaum SZENTKIRÁLYI, *post munus ordinarii vice-comitis comitatuum Pest, Pilis et Solt articulariter unitorum annis 20. et protonotarii palatinalis annis 10. gloriose gestum in collegium supremi tribunalis septemvirum adlectum 1830.*

Pestana o! patriae princeps provincia nostrae,
Quam capiti triplicem devovet una fides.
Dicito (nam solito maiore accenderis aestu)
Quae sit laetitiae tam bona causa tuae?
Forsan ovas, laetis quia messibus arva redundant,
Et quia per colles dulcia musta legis?

Mollia securae vel carpens otia pacis
Florentes urbes dulce videre tibi est?
Haec quoque materia est festivi plurima gaudii:
Sed tamen hac maior nunc tua corda movet.
Ecce! tuos cives sublimia nomina ferre,
Perque hominum meritos ora volare vides.
Hos inter, quem nunc gaudes assurgere, pulchrum
A sancti regis nomine nomen habet.
Hunc merito primum laetare capessere clavum,
Pectore iure foves votaque spesque tuo.
Scilicet innocuis semper devinctus ab annis
Crescebat sollers in decus ille tuum.
Et veluti quercus, quae latas dividit umbras,
Glandis ab exiguo semine nata viret.
Nec Boreae cedit, nec densis imbribus Austri,
Si patulas iactet vis furibunda comas.
Sustinuit pariter constans onus omne laborum,
Per quos virtuti semita certa patet.
Testis es ipsa mihi felix provincia membro
Quondam, mox capite hoc iure superba tuo.
Quam docto calamo communia vota notabat,
Et summi tenuit remque locumque viri!
Mirata es quoties facundae munera linguae,
Et quoties dixti: tu mihi praeses eris!
Quin novus hic Majláth fiet, novus ipse Szögyényi,
Tantis, dicebas, non minor iste viris.
O quam digna viro est spes de se gloria magnas
Et dare, et erectam non temerare fidem!
Non temerare parum est: at spes quoque vincere summas:
Haec demum magni famaque lausque viri est.
Siquis erit vero patriae stimulatus amore,
Acer in hoc durum pulvere curret iter.
Accedent plausus populi, laudataque virtus
Crescet, et eximius sponte sequetur honos.
Haec tibi laus peperit tam grande, Ladislae, nomen,
Haec per honorum te culmina summa vehit,
Vidimus in celsa procerum sedisse corona,
Altaque te fida verba notasse manu.
Cernimus et summum patriae decorare tribunal,
Regius hoc iussit mox ut adire favor.

Sed crescunt plantae, pluvio si rore madescant,
Et si laetentur lumine, Phoebe, tuo.
Non minus et virtus augusta voce probata
Fulgorem increscens explicat ipsa suum.
Iamque diu merita video te sede locatum,
O decus! o patriae firma columna tuae!
Cana fides studio iusti blandoque rigori
Iuncta tuum stipant, pulchra caterva, latus.
Et quisquam dubitet? resides quo culmine posthac
Gratior adspirat quam prius aura poli?
Aurea quin tecum reditura, Ladislae, lustra
Cives, et merito, mente animoque fovent.
Norunt quippe, tibi quam sit prudentia felix,
Quantum te ingenium consiliumque regat.
Ut meritis ardes iustas decernere lauros,
Ut, cum quod nolles cogeris esse, doles.
Ergo triumplales princeps bene curia plausus
Ingeminas, fausta luce micante tibi.
Hoc prorex, sidus patriae, facit: huius obibat
Ille quatuor lustris, alter ut ille, vices.
Hoc omnes faciunt, quos gaudia summa remulcent,
Inclyta dum virtus praemia digna capit.
Praecipue hoc tantae soboli, paeana frequentans
Laeta tuae tellus Kecskemetana facit.
At tu lux generis, priscae virtutis imago,
Natalisque tui gloria multa soli,
Gaudia cum votis, queis te veneramur, amoris
Testes addicto suscipe, quaeso, sinu.
Sic dulces nati patrias virtutibus aequent
Spes, cari patriae cum patriaque tibi.
Sic gravium fastos decorent tua facta virorum,
Quaque volat nomen fama secunda sonet.
Sic quoque per titulos, per honorum culmina vecto
Candidior redeat candidiorque dies.

Elegia VIII.

Memoria Thomae NÁDASDY, *arcis budensis quondam praefecti 1830.*

Nádasdy quondam generosi Martis alumne,
Cuius virtutem saecula cuncta canunt.
Mascula quae virtus fido tibi pectore vixit,
Et mea plectra, licet post tria saecla, movet.
Te fortem ut patriae sors anxia vidit alumnum,
Salvo hoc salva manes Pannonis ora, refert.
Et patriam quamvis repleat torrentis ad instar
Bistonico Soliman cum grege torvus humum:
Sidus, Buda, meum non unquam cornua lunae
Expaveat: superum sit modo dextra favens.
Sed tamen haec eheu! qua grandi nescio culpa
Offensa, optatam subtrahit, omnis opem.
Nec satis usque Mohács manabas sanguine nostro;
(Hungarico aeternum pectore triste Mohács!)
Ni magis, atque magis lacerentur viscera nostra,
Corque ipsum propius tela cruenta petant.
Hungare quid trepidas? Budae quid fata sinistra
Praemetuis? Thomas dum gerit arma minax.
Quantascunque ferox Solimannus parturit iras,
Nádasdy impavido pectore ferre sciet.
Lamina non illum corrupit divitis auri;
Mille nec horrebit vulnera, mille neces.
Interea validis cinguntur moenia castris,
Fit fragor, et quatiunt tecta laresque globi.
Nullus adest, quem non cruciet terrorque pavorque,
Qui pia non clamet numina, nullus adest.
Stat tamen intrepidus semper Nádasdius heros,
Ignarus gelido quippe timore premi.
Stare parum forti est, animat quoque voce catervam,
Cuius erat summi iussa tenere ducis.
Quid facis o patriae regis quoque amoribus ardens?
Vox tua, si nescis, certa pericla parat.

Qui tibi, militibus non fervet pectore sanguis;
Qui te non idem quoslibet urit amor.
Desine, dum moneo, siqua est tibi cura salutis:
Quid si miles erit proditor ipse ducis?
Nil ago. Nunc precibus, monitis nunc acribus instat:
Et patriae et regis nomina sancta vocans.
Sed frustra geminat: „patria! et rex!“ nomina sancta.
Hauserat ignavus pectora cuncta pavor.
Nec trepidare sat est: summi quoque spernere miles
Cum monitis audet iussa severa ducis.
Quin rapit, et manibus pedibus quoque vincula plectit
Perfidus, et tradit trux Solimanne tibi.
Proh scelus! at virtus tali mercede beanda est?
Quique nefas tantum vindicet, ullus erit?
Non tulit, hircanis quamvis crudelior ursis,
Barbarus haec siccis facta nefanda genis.
Vive! licet fueris summus Nadasdius hostis
Noster, ait Soliman, sis quoque: vive tamen!
Quamque negat vitam sociorum perfida turba;
Illam de nostra, dux bone, sume manu.
Emicat e vestro quae virtus pectore; virtus
Sit precor, o ducibus tempus in omne meis!
Quid rege, et patria sit cunctis carius? illis
Siquam iurasti, rite teneto fidem.
Hostibus indomitis virtus haec pulchra probatur,
Utque vides Turci saxea corda movet.
Mox furit is, fideique datae quos cura reliquit:
Indignos vita, caedito miles, ait.
Nec mora: pro patria metuunt qui ponere vitam,
Perfidiae illorum victima vitâ cadit.

Elegia IX.

In humidas admodum ferias autumnales 1833.

Ecce pluit rursum! quis erit iam finis? at ipsa
Imbribus assiduis saxa soluta putem.
Undique densantur praegnantes aethere nimbi,
Vix ruit hic pluviis horridus, alter adest.
Tegmine sub pullo coeli frons ardua maeret,
Auricomusque secus Cynthius ipse latet.
Ergone, Phoebe, sinis radiantia lumina tanto
Impune imbrifera tempore nube tegi?
Fors tua, quae solita est densissima nubila torrens
Rumpere fax, veteres perdidit ipsa focos?
Aut madidus rapuit Triton tibi iura priora,
Aut piget adsueta lora tenere manu?
At, si Phoebe sapis, quae demum cunque moratur
Causa, micans titulos ibis amare tuos.
Tu pater astrorum, telluris numen haberis,
Et placidus lunae frater, et orbis amor.
Te volucres dulci surgentem voce salutant,
Et laudes, volitet nox licet atra, canunt:
Vix vermem referes, vix herbam, cuius amore
Non laetus coeli lucida regna tenes.
At iam bis tacitae creverunt cornua lunae,
Nulla tamen terris lumina luna dedit.
Nubibus aeternis pateris si lumina condi,
Qui colat imbellem, forsan aliquis erit?
Aspice, quam tristis naturae est vultus; at illum
Languentem poteris crimine ferre tuo?
Prata, nemusque silent, et multis ebria nimbis
Extremum lugent adproperasse diem.
Flumina trans ripas equitant, rivique rapaces
Atque domos secum saxa nemusque trahunt.
Me miserum! quantis assurgunt fluctibus undae,
Adria quas patulo continet ipse sinu!
Quot laceras naves pontus, quot funera portat!
Quis Pyrrhae dubitet saecla redisse novae?

Virginis et librae gratissima sidera, vester
Anne parat terras destituisse favor?
Ruricolis alias messes portastis opimas;
Nunc, quod verna dies praebuit, imber habet.
Donastis passim maturas vitibus uvas;
Nunc spes vinicolae lenta putredo vorat.
Balantes pecudes, nudatae vellere, saltu
Exhilarant lepido torrida rura prius.
Ipse etiam molli Corydon in cespite stratus
Certabat calamis, Thyrsi canore, tuis.
Gratia cum nymphis auras captare tepentes
Gestiit, et dulces carpere vite botros.
Delia frondentes gaudebat visere saltus,
Candidaque illimi mergere membra lacu.
Haec viguere tibi dum Titan certa potestas
Non deerat rapidas exeruisse faces.
Qui te nunc lentum, qui non accuset inermem,
Si nescis, nullum iam superesse ferunt.
Sic ego stelligeri sinerem regnator Olympi
Imminui capiti debita iura meo?
Eurus cum sociis Cauro, Boreaque, Notoque
Parerent iussis (spondeo) rite meis.
Non mihi nimbosi volitarent fronte vapores,
Nec nubes nitidas vinceret ulla faces.
Prima dies nostras laudaret, summaque flammas,
Utque stet, urgerem, nomen honosque mihi.
Fallor? an has vexant venti stridore fenestras,
Aethere luxque redit caeruleusque color?
Phoebe micans salve! mea te nisi vota petebant,
Pulcher ades, salve! sic tua culpa vacat.
Ut venient animi, nostro mox carmine laudes
Condignas meritis, candide Phoebe, feres.

Elegia X.

Contra obtrectatores poeseos 1834.

Quae te musarum cepit furiosa cupido,
Nox ut nulla vacet carmine, nulla dies?
Nec philomela canit semper, nec rauca cicadae
Annum per totum vox resonare solet.
Carmina, nec nescis, vatum deliria dici:
Cum nisi sint vacuae carmina mentis opus.
Serta paras meritis? lauri tibi poscis honores,
Vixque lucri tacita suspicione cares.
Blandus adulator non vano diceris ore.
Scilicet haec vestrum praemia carmen habet.
Talia quisquis ais, caeco vexare veterno:
Nam furor est doctis bella movere Diis.
Desine, dum moneo, quaque est via tuta, potentis
Ne noceant Phoebi spicula certa, fuge.
Aspicis, ut plenos ardens sinuaverit arcus
Vulnera fixurus pectore saeva tuo?
Imprudens iustos nefors violaris honores,
Fata, velim, Niobes tristia saepe legas.
Spreverat haec vecors nomen natosque Latonae,
Hos inter spretum te quoque, Phoebe, ferunt.
Nec satis: et septem pulcherrima pignora iactat;
Praeque Diis effert ambitiosa caput.
Hoc aliquis tentet, veritus nil numina nostra?
Admissi poenas, dixit Apollo, luat.
Nec mora: fatales mittit de more sagittas,
Nec mora, iam Niobes pignora cara iacent.
Et tibi, Pieridas quisquis temerarius audes
Carpere, par veniet poena luenda comes.
Nam dic, quaeso, tuum quae pectus cura fatiget
Aonidum placidis anteferenda sacris?
Tullia, fors dicas, facundia, solis ad instar
Laudibus excellit Flacce Maroque tuis.
Vatibus omne, quod es, sedenim te, Marce, fateris
Debere: illi fons, tu nisi rivus eras.

At captos cerebro vates, sophus iste putabit:
Scilicet his lusus, seria nulla placent.
Immemor omne genus, siquod corruperat orbem,
Stultitiae auctores usque habuisse sophos.
Haec ratio est, cur Roma sophos procul esse iubebat;
Praemia dum sacris vatibus ampla dedit.
Gloria fors maior veterum monumenta tenere,
Temporis et prisci facta referre foret?
Temporis at nostri si mendax fama remiscet;
Qui cupit illudi, facta vetusta legat.
Est aliquid tacitas naturae quaerere causas,
Et grande Arch'medis promeruisse decus.
At numeri et tabulae, queis auctor stultus inhaesit,
Sanguine numquid non permaduere suo?
Multa licet teneas, plus heu! natura recondit:
Hic vaga Danaidum mergere cribra soles.
Pharmaca mista vocant multos, herbaeque medentes;
Crebrior ut Diti victima nempe cadat.
Iura Themis, legesque colit; properate iuventus:
Hic, quod detineat pectora, forsan erit?
At modo venalis Themis est; si solveris, aurea
Protinus es causa, iustitiaque prior.
Hos coelum spectare iuvat, cursusque notare:
Sideribus quid enim pulchrius esse potest?
Astra Thales spectat, fossam dum fertur in altam
Praeceps. Haec multos sors manet aequa viros.
Iratum videat Boream, saevasque procellas,
Cui nimius lucri pectora torquet amor.
Consuevisse refers istos? consuevimus et nos:
Hos amor exstimulat? nos quoque mulcet amor.
Delectent alios sua seria; lusibus istis
Nos delectari quis reprobare queat?
At turpe est vitam consumere lusibus: orbem,
Qui sapiunt, totum vera theatra vocant.
Hic Heraclitus fletu rigat ora perenni;
Hic Democritico risus in ore sedet.
Dissipat iste patrum mala parta; ille Euclio friget,
Et potius, morbo quam medeatur, obit.
Fasce Dionysius celebris, vertentibus annis,
Nonne Corinthiacus ludimagister erat?

Quive prius calamos et pulpita docta terebat,
Conspicuo populis iura dat ecce! throno.
Ludimur assiduo vita fugiente; nec hora est
Tam bona, quae sequitur, quam bona prima fuit.
Iure igitur musis primos praestamus honores,
Quarum prae reliquis lausque decusque manet.
Cura sit haec lusus: cunctas modo vincat, ut hucdum,
Et deinceps curas nobilitate sua.

Elegia XI.

Nonnulla vitae socialis praecepta 1835.

Laus tibi iure datur doctorum summe sophorum
Pythagora, immodicos qui premis ore sonos.
Quippe animi rudis esse doces stolidique levisque,
Vix aliqua causa, verba tacenda loqui.
Dolia plena tacent, sed inania murmure rauco
Auribus insvetis esse molesta solent.
Flumina siqua strepunt, quis dixerit ire profunda?
Exiguis ludit garrula lympha vadis.
Annon Danubio fluctus cohibente furentes
Cymba frequens remis tergora tuta secat?
Dum taciturna iacent volitant super aequore naves:
At verbosa illas saepe procella vorat.
Disce tacere catus: quondam sic verba loqueris,
Quae Deus atque homines iure probare queant.
Si nescis linguae fraenos posuisse, quid ohe!
Quid facies, animo si fremat ira tuo?
Fluctibus affectuum trades te forte regendum?
Heu misero! tumulus saeva charybdis erit.
Aut nescis speculum mentis sermone referri?
Garrulus indicio proditur ipse suo.
Ardua (quis dubitet?) res est sic dicere semper,
Ne linguae fuerit culpa luenda tuae.

Dicere si recte cupias, et vivere prudens,
Hanc memori, moneo, pectore fige notam:
Multa audi; dic pauca; tace abdita; disce minori
Parcere; maiori cedere; ferre parem.

* * *

Nesciet ille gravem sermonem texere, quisquis
Tempore non didicit rite tacere suo.
Posse placere bono praestat, quam pluribus, illos
Si nota nequitiae non soluenda manet.
Erras, si doleas felices esse superbos;
Erras, qui rides, dum gemit innocuus.
Sancitae legi prudens parere memento:
Utilis haec; alias est nocitura tibi.
Fortuna ridente bonos tibi delige amicos;
Sinceros dura sorte minante proba.
Navita num validis norit torquere lacertis
Remos, commotae Tethyos ira docet.
Magnanimum pariter quem laudes Martis alumnum,
Ostendunt forti praelia gesta manu.
Nec satis est niveos aliorum quaerere mores;
Ante alios illis ipse nitere stude.
Quid iuvat aegroto succos memorare salubres;
Ni lassas penetrent pharmaca mista fibras?
Esse cupis quales alios, ipse esse labora:
Et cura exemplo cuique praeire bono.

* * *

O formose puer! noli confidere formae.
Iniiciet formae damna senecta tuae.
Ista decens facies rugis horrebit, et eheu!
Iam non pulcher eris, qui modo pulcher eras.
Non adeo quaerenda tui tibi gratia vultus,
Pectoris ac constans ingeniique bonum.
Huic nisi perpetuam, noris bene, surgere famam;
Hoc nisi constructos par superare rogos.

Gloria factorum pariter perdurat ab illo:
Pro patria dulce hinc vivere, dulce mori est.
Tullius inde amplus, Naso simul inde celebris;
Naso metro facilis, Tullius ore potens.
Hoc dominam melius Romam per saecula servat,
Quam titulis valeas, clare triumphe, tuis.
Hoc ubi praecelles tutus per et aequora curres:
Expedient facilem ventus et aura viam.
Huius sit curae tibi propria reddere dona;
Nec, qua monstrabit, flectere temne pedes.
Respicies etiam fidum iuncturus Achatem,
An culto reliquis pectore praestet idem?
An sit Aristides, videas, an forte Cleanthes?
An illi sedeat plurimus ore Sinon?
Moeonidem quamvis Arpinatemque relinquat
Ingenio; vivit si Catilina, fuge.

Elegia XII.

Animus ingenuis artibus est excolendus 1836.

Est animus melior nostri pars: labe notatur,
Qui sinit hunc lento triste iacere situ.
Ne putre desidia silvescat corpus inerti,
Curae est sollicita fingere membra manu.
Est labor, ut corpus quasvis formetur ad artes,
Nullaque pars studii non operosa vacat.
Nunc praecepta capit sese librare sub auras;
Vincere nunc multa dexteritate pares.
Nunc levibus digitis cytharae percurrere fila;
Nunc Amphionios edere voce sonos.
Nunc et equo ferri, nunc piscis more natare;
Aut socio infesta cominus ire manu.
Et pueri exercent saltus, teneraeque puellae,
Arte regente manus, arte regente pedes.
Si brutis cultus membris virtusque paratur:
Numquid erit menti debita cura minor?

Ars sua sit pedibus (nil pugno) sitque lacertis:
Non sit eques melior te, meliorque pugil.
Ast operam terere est, si solo in corpore laudem
Quaeras, et mentem nox diuturna premat.
Dotes quaere animi prae corporis: ille, fac, amplae
Doctrinae multa luce coruscus eat.
Ignea vis menti est penetrandi plurima, dives
Quae natura suo condit operta sinu.
Hanc crassis teneat si ignavia lenta tenebris,
Noveris hoc vitae dedecus esse tuae.
Phoebeas nescire vias, lunaeque labores,
Unde tremat tellus, crescat et unda maris.
Nosseque vix aliam patriae post limina sedem;
Saepe plagas patriae nec bene nosse suae.
Si fugiant animum saeclorum facta vetusta,
Vincula si legum iuraque scire neges,
Quis non turpe putet? vel quis mirabitur isthinc
Nominis ire decus divitiasque procul?
Exige, quae messis, doctrinae commoda praestet,
Quam laudem ingenio, quam pariatque diem.
Est ea fax animi, dux vitae, vera voluptas
Est famae genitrix, perpetuumque decus.
Inde tibi melius rerum cognoscitur auctor:
Et sua divinus pabula sumit amor.
Cetera, quae magni fieri vel posse videntur,
Divitiae, census, gratia, forma, vigor,
Omnia deficiunt donis collata Minervae:
Scilicet ingenii deteriora bonis.
Illis longa dies, vel aquae, vel flamma nocebunt;
Aut eadem sortis datque, rapitque manus.
Afferet et formae vim non humanior aetas,
Destituetque sua mobilitate pedes.
Et cum septa malis succedet tarda senectus
Planges, atque tui nil superesse gemes.
Qua formae, aut opibus fati dominabitur ira;
Ingenii parcet, mitior illa bonis.
Mente sedebit honos, laurus tua tempora cinget:
Non istis poterit longa nocere dies.
Quave pedem tuleris musae comitantur euntem:
Hae tibi divitiae, tecta, levamen erunt.

Praetereant anni, componat frigida mutus
Ossa licet tumulus, fama perennis erit.
Ergo si incendunt meliores pectora flammae,
Atque aliquis clari nominis ardor agit,
Exerce ingenium, cave declinare laborem,
Intentum videat noxque diesque libris.
Palladiis sacris tempus favet omne: labora
In pretio quodvis tempus habere suo.
Seu glacialis hiems undas constringat et arva,
Ne cursum valeat sistere saeva tuum:
Sive calor rapidi ferus urat membra leonis,
Immitis studiis nesciat esse tuis.
Et quamvis celeres moveant sua praelia venti,
Hac tua sit maior seditione quies.
Et memor officii, quo mens ornanda iubetur,
Exauge ingenii, qua potes arte, decus.
Inde tibi virtus, laus inde, et fama paratur,
Inde vigor membris, inde petentur opes.

Elegia XIII.

Filius ante funestum patris sui tumulum 1837.

Flebilis ante tuam genitor stat filius urnam;
Si meruit vultus respice, quaeso, pios.
Cernes assiduo vitiari lumina fletu,
Perque genas rivos currere, perque sinus.
Exhaustam cernes faciem, passosque capillos,
Et frontem, cuius decidit omne decus.
Et trepidis cernes convulsum pectora palmis,
Funeribus, genitor, saucia facta tuis.
Heu! frustra luctus itero, saevosque dolores,
Et repeto frustra nomina cara patris.
Nil gemitu lacrimisque meis verbisque movetur,
Respuit effusas trux Libitina preces.
Tempus erat (memini) genitor dulcissime, vota
Irrita dum nati non cecidere tui.

Tu mihi languenti curas tenuare solebas,
Tu vegeto mores ingenerare probos.
Siquid erat, nato quod gaudia iusta vetaret,
Hoc removere fuit cura laborque tuus.
Siquid erat, nato quod commoda certa pararet,
Hoc tua providit cura, laborque mihi.
Vidi ego perfusum lacrimis, gemituque trementem,
Viscera dum nati torsit amara febris.
Vidi laetantem mecum, lepideque iocantem;
Ut mea sentires gaudia pene tua.
Eia, age, care pater vultus attolle iacentes;
Quos tua deforment funera, quaeso, vide.
En! miseri stipant misero plangore feretrum
Coniux et septem pignora cara tuum.
Horum vita tuam vitam miseranda reposcit:
Aspice, quam multis maesta favilla iaces!
O hominum duram sortem, vitamque fugacem!
O spes fallaces, gaudia vana nimis!
Nascimur, et morimur; miscentur gaudia luctu.
Vita quid haec? nisi spes, sollicitudo, labor.
Sic evanescit tenuis ceu fumus et umbra,
Et praeter, veluti missa sagitta, volat.
Utque rosae tenerae brevis est, et vita caduca;
Gaudia sic pereunt ipsaque vita cito.
Atque utinam, ut certa est mortis lex, tempus et ipsum
Non minus ignores, quo moriare, modum.
Ast heu! aeterna latet hoc caligine tectum:
Quo tibi sit curae vitaque morsque magis.
Felices! quibus hanc supremam nunciat horam
Succedens tacito curva senecta pede.
Sed validae vegeto dum stant in corpore vires,
Dum vitae, et veris gaudia pura legis;
Quove feras oculos dum circum te omnia florent:
Quam miserum est leto praecipitante rapi!
Hoc est, care pater, natos quod acerbius urit,
Mista piis lacrimis inde querela ruit.
Triste quidem meminisse mihi est, et tristius illum,
Qui rapuit nobis te, memorare diem;
Attamen, ut meruit, pullo signabo colore:
Ut vitam quid sit vivere, quisque notet.

Maius iit mensis, sed amicae parcior aurae;
Quisque dies etenim, vel prope quisque madet.
Prae reliquis unus caluit, spes quanta futuri!
Laetitiae et Maio qui solet esse sacer.
Vix Eos rubuit lucem vectura cupitam,
Ad virides properant plurima turba plagas.
Eia boni cives, rubeae ne credite luci,
Illius occasus saepe pericla tulit.
Multos prima dies laetantes surgere vidit,
Quos eadem vidit iam cecidisse dies.
Vincula in occasu manibus, pedibusque tulere,
Mane quibus gaudii signa dedere sui.
Necquidquam moneo, properant: iam, iamque virentes
Credideris valles laetitiam haud capient.
Iste pedes scandit natis et coniuge cara
Cinctus; at hos sursum culta quadriga vehit.
Aemula vox illic volucres imitatur; et isthic
Cymbala cum cytharis cum fidibusque sonant.
Pars commessatur, pars umbram quaerit amicam;
His praebet mollem cespitis herba torum.
Par cunctis animus, lucem hanc traducere laete,
Ni fors laetitiam fata sinistra vetent.
Non semper fallunt homines praesagia: necdum
Attigerat medium Phoebus in axe diem.
En ferruginei densantur in aethere nimbi,
Et late rutilant flammea tela poli.
Sunt procul haec geminant multi. Nos cura bibendi
Occupet, et dapibus sit procul acta fames.
Interea adproperant nubes, et fulgure mixtum
Fine caret tonitru, densus et imber adest.
Laetitiam rumpit tempestas: quisque laborat
Ad proprios, madidus quamlibet, ire lares.
Dum fractae nubes de montibus ardua mittunt
Flumina, cumque undis damna, pericla ruunt.
Grando ferit vites, imbri spes tota coloni
Sternitur, et sepelit florida prata lutum.
Diffugiunt homines aut tecta domosque petentes,
Aut rapidis vitant proxima fata rotis.
Nusquam tuta mora est: subit, aut rapit unda penates;
Assequitur celeres et rapit unda rotas.

Fortunatus erat, valido qui stipite quercus
Arrepto, praeter currere vidit aquas.
Solis ad occasum deformis corpore toto,
Qui potuit propriae limen adire domus.
Nox multis exacta procul. Lamenta, querelas
Ingeminant matres, ingenimantque nurus.
Haec natum deflet, plorans vocat illa maritum,
Sunt, quorum precibus mater amata deest.
Nos quoque dilectum sentimus abesse parentem,
Incerti quo nos spesque, metusque ferat.
Dum tandem manifesta fides (proh flebile verum!)
Te, genitor, fatis occubuisse refert.
Hei mihi! qui gemitus! quae tunc lamenta sonabant!
Ut lacrimis nostri permaduere sinus!
Alter in alterius maestissima colla ruentes
Flevimus, et querulos fudimus ore sonos.
Necquidquam! fati mansit lex ferrea; maesta
Pectora quod recreet, nil super usque fuit.
Sic visum est superis: sit eorum sancta voluntas!
Non cuiquam tellus gaudia fixa dedit.
Alterno hic redeunt risus, gemitusque meatu.
Felix, siqua sedet litore tuta ratis.
Quod superest memorem, genitor, tibi pono tabellam,
Quae pia tristitiae symbola fronte gerat:
„Quem fovet hic tumulus maialis sustulit imber:
Qui legis haec vitae fidere parce tuae.“

Elegia XIV,

qua Pestinum queritur contra exundantem Danubium 1838.

Si dolor ullus erat verbis facundus amaris,
Quod gemat en! noster quodque queratur habet.
Viximus eximio vernantes flore, favere
Qui mihi non studuit, iam prope nullus erat.
Fama meum toto nomen vulgaverat orbe,
Ambierant sedes dissita vota meas.
Et quia prae cunctis patriae speciosior una
Urbibus et vigui commoditate situs;
Et quia conspicio contermina moenia Budae,
Creverat hinc potior lausque decusque mihi.
Quas non spes fovi! quae vidi lustra futura!
Quilibet ut studuit me recreare dies!
O quoties dixi surgentia culmina cernens,
Esse quis haec unquam regia tecta neget?
O quoties auri et gemmarum capta nitore
Dixi: huc Pactolus misit et Indus opes!
Nam mihi cur populi memoretur densa frequentis
Turba, gradu propero marmora quadra terens?
Quid choreas referam geniales, quidve theatra,
Arsque quod excellens ingeniumque parit?
His ego, ceu Libani cedrus formosa, decorum
Sustuleram meritis conspicienda caput.
Heu! nihil humanis mortales credite rebus!
Vix modo quod salvum dixeris esse, fuit.
Tam cito non verni praetervolitare tepores
Nec cecidisse rosis vita vigorque solet;
Tam cito non fumus tenues vanescit in auras,
Quam mihi disperiit spesque decorque cito.
Illa ego pannonici pulcherrima gloria regni,
Musis delicium, iustitiaeque foris;
Exemplar patriis conatibus, almaque mater;
Consenui fato praecipitata meo.
Eloquar? an sileam crudeles icta dolores?
Inveniet iustus num sua verba dolor?

Non mihi credetis, sed credite sera nepotum
Tempora, non norunt vulnera nostra modum.
Nec licet immenso complectar carmine cuncta,
Quae mala sustinui, me retulisse putem.
Quodque mali summa est: fortunae prima faventis
Causa prius, casus causa fit ipsa mei.
Danubius latis me praeter labitur undis,
Et pulchras patriae cernit utrinque plagas.
Utque fluit terris sua fundere commoda gaudet;
Prae reliquis favit semper at ille mihi.
Isthuc praecipuas dum vectat tergore merces,
Et procul hinc nostras fertque refertque rates.
Ornatas recipit, cautasque natatibus aedes,
Gestit et arentem fonte levare sitim.
Nos pariter gratum quo contestemur amorem,
Conamur quidquid reddere cura valet.
Aedibus ornamus ripas, portusque paramus,
Metropoles labor est iungere ponte duas.
Instruimus naves urgendas arte vaporum,
Credimus innumeras, quas agat ipse Notus.
Nec satis, aequoreas subeat quo pronior undas,
Quod remoratur iter tollere cura fuit.
Quin etiam ripas nexu sociare perenni:
Iustum pro meritis ut diadema ferat.
Haec nos Danubio; decora isthinc plura paramus,
Unde illi veniat nomen honosque novus.
Dummodo pacato decurrat flumine, stetque
Iam vetus inter nos obsequiosus amor.
Terra nihil certi nil gignis denique tuti:
Inde venit strages, venerat unde salus!
Quo furibunde ruis? quis te malus impetus urget?
Dic, me cuius agis criminis ipse ream?
Nil ago: crudeles meditatur tetricus ausus,
Et socias pestes et mala cuncta vocat.
Infelix eheu! glacialibus obruor undis,
Urbs modo quae fueram sum modo facta mare.
Nusquam tuta salus! moles glomerantur aquarum
Atque novis veteres multiplicantur aquis.
Interea miseris resonant clangoribus altae
Turres, ut moneant auxiliumque vocent.

Nequidquam. Gemitus eheu! lamenta, ululatus
Flebilibus complent compita, tecta sonis.
Scilicet haud satis est tumido saevire furore
Atque meas late transequitare plagas:
Ni simul acceleret funestas undique strages,
Incubet et plateis maesta ruina meis.
Hic oculis demum se scena miserrima pandit;
Ah! pavet admonitu mens, oculique madent.
Ut desperato poscunt clamore salutem,
Et matres trepidae sollicitique patres!
Quanta est servandi vitam contentio! quantus
Auxilio miseris, qua licet esse, labor!
Pendula trabs multis, multis fastigia tecti,
Nec sua, dant vitae perfugiique locum.
Quave levis nuper strepitabat in arbore passer,
En pater et nati, plebs miseranda, sedent!
Interea fragor hac, fragor illac, horror ubique.
Innumeri late procubuere lares.
Non paucis tumulus proprii sunt ecce! penates.
I nunc et tectis fidere disce tuis!
Siqua domus vires tumidarum lusit aquarum,
Aspice quam multo nititur illa pede.
Forte carent aliquae fulcris? eia, inspice, dices:
Ferreus est, siccis qui videt ista genis.
Quis vestram, cives, sortem, quis grandia damna,
Pectora quis referat vulnere laesa gravi?
Quam multos nullum, quam multos publica condunt
Tecta, nec in similes tecta parata vices!
Quam multi lacera aut aliena veste teguntur,
Sericeis nuper corpora comta togis!
Qui dapibus multos poterant nutrire paratis,
Nunc procul heu! missi panis aluntur ope.
Quae, superi! fuerit tantorum meta laborum?
En! mala consurgunt accumulanda malis.
Improba pauperies, morborum monstra, querelae
Tot vexant hominum millia mille modis.
Iam prope felices haustos in gurgite dicas,
Quam porro miseris tot superesse malis.
Plura vetant gemitus, et qui nova vulnera cordi
Infligit, vires subtrahit ipse dolor.

Elegia XV.

Metaphrasis L. II. Odes 16. Horatii.

Nauta procellosis iactatus fluctibus, atras
Dum trepidat nubes, otia blanda petit.
Nubila qua lunam, qua sidera nubila condunt,
Nulla salus illi, spes quoque nulla micat.
Otia Thrax, Medique rogant; quorum ille furente
Marte ferox vivit, missile at alter amat.
Otia non gemmis, non et venalia bysso
Grosphe, putes: non his gloria tanta venit.
Cui miseri tacito regnant sub corde tumultus,
Et mordax circum tempora cura volat:
Non gazae, non haec lictor mala consulis ipse
Submovet: his curae cedere quippe negant.
Felix prae reliquis, multoque beatior ille est,
Qui bene de parvo vivere doctus erit.
Ornat cui tenui mensam splendore salinum,
Et cui non somnos cura timorque fugant.
Nam quid multa brevi iaculamur tempore vitae?
Cur ustos alio sole petamus agros?
An propria siquis patria fors vixerit exul,
Se quoque cum vitiis fugerit ipse suis?
Scandit et aeratas delicti conscia naves
Mens; equiti pariter iungitur illa comes.
Ocior illa volat cervis, volat ocior Euro,
Qui potis est nigra condere nube polos.
In praesens laetus, renuit curare futura,
Dissimulans risu sortis amara suae.
Scilicet hic nihil est omni de parte beatum:
Sors modo quae favit, mox inimica premet.
Illustrem vitam cita mors abrupit Achillis;
Tithoni extendit longa senecta dies.
Quae sors dextra mihi est, tibi erit fors illa sinistra.
Hora mihi rutilans, atra futura tibi est.
Tu gregibus centum, siculis tu cingere vaccis;
Te rapidis vectat pulchra quadriga rotis.

Te lanae exornant afro bis murice tinctae,
Et nitido splendet purpura multa sinu.
Me beat exiguo procurrens limite vallis,
Ruraque iugeribus iuncta, Sabine, tuis:
Parcaque non mendax Graiae mihi dona camenae
Contulit, et vulgi spernere vota dedit.

Elegia XVI.

Metaphrasis L. III. Odes I. Horatii.

Hinc procul indoctum vulgus, procul esto profanum.
Quisquis adest linguae garrula verba premat:
Devotus musis non unquam audita sacerdos
Carmina dum pueris, virginibusque canam.
Reges in populos exercent iura timendi.
Regibus est maior dextra verenda Iovis.
Scilicet haec potuit validos superare gigantes.
Ipse supercilio cuncta movere valet.
Latius hic arbusta quidem per iugera ponit;
Hic genere illustris munia summa petit.
Moribus ille cupit potior, famaque praeire:
Plurimus hinc alium stipat, et inde cliens.
At mors insignes pariter praedatur et imos.
Omnia fatali nomina vase latent.
Cuius districtus cervicibus imminet ensis,
Non quidquam, timidum quod recrearet, adest.
Non siculae mensae dulcem conferre saporem,
Non somnos avium vox cytharaeque valent.
Blanda quies, somnique leves invisere gaudent,
Quos parva retinent rustica tecta casa.
Umbrosa in ripa cupiant seu sternere membra,
Seu tempe Zephyris pervolitata petant.
Qui plus, quam satis est, non appetit, ille beatos
Exiget et vacuos speque metuque dies.
Non hunc Arcturi, non terrent sidera caprae,
Haec licet assurgant aequore, at illa cadant.

Et quamvis aestas devastet grandine vites,
Credita nec mendax semina reddat ager;
Et neget autumnus de ramis tendere poma,
Quos imber nimius, vel vitiarat hiems.
Contracta ob moles iniectas aequora pisces
Advertunt: nec enim, qua prius, illa patent.
Nempe frequens illuc demittit saxa redemptor,
Fluctibus in mediis tecta domosque parans.
Pertaesi terras dominus famulique fideles
Hoc posthac cupiunt iam residere loco.
Necquidquam. Dominum curae comitantur acutae,
Quisquis delicti conscia corda gerit.
Nec, licet has celeri properet vitare triremi,
Aut fugiat cursu quadrupedantis equi;
Se tamen atque metum, tacito quem pectore gestat,
Infelix, unquam deseruisse potest.
Purpura si nequeat saevos lenire dolores,
Si non et phrygiis saxa recisa iugis,
Si non imminuant mordaces pectore curas
Caecuba, nec costi si pretiosus odor:
Cur ego sublimes, solitas quoque moliar aedes
Invidiam domino saepe ciere suo?
Eccur divitias operosas valle sabina
Permutem? modico si satis usque beor.

Elegia XVII.

Metaphrasis L. III. Odes 24. Horatii.

Intactis fueris quamvis opulentior Indis,
Appulicoque struas moenia vasta mari.
Immineat mortis tibi si lex ferrea, collum
Non laqueo solves, non animumque metu.
Campestres melius vixere Scythaeque, Getaeque,
Queis vexere vagas stridula plaustra domos.
Libera namquo illic producunt iugera messes,
Annua quas suevit cura laborque dare.

Atque ubi iam vitae melioris transiit aetas,
Succedens tacito curva senecta pede;
Munere defunctis duro succedere gaudet,
Qui similes obeat sorte manuque vices.
Non apud hos vexat privignos matre carentes,
Dirigit angustam siqua noverca domum.
Nec regit imperiis coniux dotata maritum,
Nec nitidos quaerit femina vafra procos.
Siquam fert dotem virgo nuptura, parentum
Est virtus cunctis iure probata bonis.
Virtus, quae caste socialia foedera servat;
Fortis, quam patret crimina tetra, mori.
O quibus est cordi saevas compescere caedes,
Et rabiem populi composuisse sui.
Qui gaudet statuis ornari: tollere curet,
Quae nullos norunt, facta nefanda, modos.
Sic grati quondam celebrabunt iure nepotes:
(Iustior ad tumulum gloria quippe venit)
Invida virtutem vegetam quae lingua lacessit,
Sublatam ex oculis quaerere saepe solet.
Quid iuvat interea tristes iterare querelas,
Si culpae tardet poena venire comes?
Aut quid profuerit legum decreta tulisse,
Si niveos mores haud revocare queant?
Non pars immodicis inclusa caloribus arcet,
Institor hanc propius quominus ire velit.
Frustra etiam rigidam tractus submovit ad Arcton
Terrarum dominus, frigoribusque premit:
Si frigus, glaciem mercator, solis et ignes
Vincere, spe lucri sat generosus erit.
Scilicet opprobrium est sub paupere vivere tecto:
Hoc fatuus fugiens saeva pericla petit.
Nec satis: et quidvis etiam non digna paratus
Ferre, et virtutis linquere castra celer.
Nostrorum si nos scelerum bene poenitet, horum
Eradat vindex prima elementa manus.
Hinc gemmas, lapides, aurum quoque inutile, summi,
Quo premimur, caussam materiamque mali:
Quo comes it favor et clamor, capitolia ad alta
Portemus, caecis vel tumulemus aquis.

Conemur tenerae mentes formare iuventae.
Condiscat quaevis aspera ferre puer.
Ingenui iuvenes (heu quis pudor!) arma recusant,
Atque truces horrent cominus ire feras.
Nec nisi rite trocho sunt graeco ludere docti,
Aut tenet impigras alea trita manus.
Haec inter socios fallit periura parentis,
Pessima qui nato dat documenta, fides.
Scilicet ars cumulat thesauros improba magnos:
Attamen et deinceps semper avarus eget.

Elegia XVIII.

Disticha moralia.

Temporibus parces, nec avarus habeberis ulli:
Sic nullum vitae tempus abibit iners.
Tota illi dormitur hiems, dormitur et aestas,
Officium quisquis praeteriisse studet.
Obsequio (mihi crede) boni vincuntur amici:
Hoc ipsis opibus plus valitura puta.
Musarum placida ingenium mollitur ab arte;
Qui sapit, has tota mente animoque colet.
Vita fugax properat, laxantur corpora rugis:
Mens tantum recti conscia salva manet.
Tuta ratis fuerit, modico quae flumine fertur:
Immodicis opibus nemo beatus erit.
Conteritur ferrum, silices tenuantur ab usu:
Aetas virtutem tollere nulla valet.
Adversos vitae cursus meminisse labora,
Cum tibi mens subito mota dolore fuit.
Disce tacere puer: dicere loquacior aequo,
Ni teneant linguam debita fraena tuam.
Difficilis dare cur fueris bene dona merenti:
Scis, capitur donis Iuppiter ipse datis.
Candida dum sentis tibi stamina volvere Parcas,
Sic forsan semper non erit, esto memor.

Fallere, si credas plures fulgere serenos,
Quam quos occultant nubila caeca, dies.
Dum roseo te blanda vocat sermone voluptas,
Scito tibi laqueos insidiasque strui.
Quid te, quaeso, iuvat Phoebo didicisse magistro?
Si fugiant animo fasque piumque tuo.
Non est velle satis, tua si plus pectora possint:
Debita nam coepti praemia finis habet.
Imploranda tibi est divina potentia semper;
Non modo si dubiis forte premare malis.
Observa leges, lex est metuenda nocenti;
Quippe comes culpam poena luenda premit.
Cur gemis infelix? sors est sua cuique ferenda:
Aut mala per gemitus attenuanda putas?
Quanta subit (quis enim nescit?) discrimina vitae!
Dum loca saepe puer non adeunda petit.
Verborum nimii seque et sua facta crepantes,
Non raro produnt dissimulanda sibi.
Cur homines properant ruituras ponere moles?
Ut sit, quod valeat rodere tempus edax.
Roma etiam toto quondam celeberrima mundo,
Sic secum instabili sorte ferente, ruit.
Hora suprema etiam rutilantes claudit ocellos;
Et modo vernantes detrahet ore rosas.
Incauti vitam cura studioque fovendam
Ante suos gaudent perdere posse dies.
Multa ferenda tibi, quam duxti, si dedit aetas;
Que posthac veniet, multa dolenda dabit.
Artes disce bonas prima florente iuventa,
Ut dulces fructus virque senexque legas.
Sunt bona mixta malis, quaevis id dixerit aetas:
Te puero hoc aliter forte fuisse, nego.
Innocuum simulas? insons se iudice nemo est:
Felix, si sedeat pectore culpa minor.
Lege Dei monstrante viam si currere flagres,
Seducent gressus devia nulla tuos.
At propriae nunquam virtuti fidito: verum
Tutus ego, dices, ibo volente Deo.

Elegia *)

Ad Georgium BAJZÁTH *de Pészak C. R. a consiliis, post editum ab eo de Immaculata B. V. Maria carmen.*

Sic te Virgo Parens Iesu, sic tota, Georgi,
Curia coelestis pergat amare, precor:
Ut mentem, pectusque tuum pius igne perurit
Et Nati, et Matris labe carentis amor.
Praxitelis pulchram et multorum cura Zeuxis
Artem, ac praecellens est imitata manus.
Pars virides portat ramos, pars munera Florae
In calathos multa sedulitate legit.
Sunt quoque facundo qui laudes ore Mariae
Matris, quo rapiant percita corda, sonant.
Sed latiae Veneres musae, grandesque cothurnos,
Non video iusta qui pietate ferat.
Id tua, quod norim, pietas facit una, Georgi:
Summa sit haec, sed enim gloria tota tua est.
Tu facis, ut, similes propriis dum cernit amores,
Increpuisse chelyn Praesul amatus ovet.
Tu facis, ut nostrae tenues in carmine musae
Aemula conentur plectra movere tuis.
Tu facis, ut mirer sic laicum dogmata nosse,
Et venerer vivam cum probitate fidem.
Haec te praesidium divinae quaerere Matris,
Et docuit teneros arte sonare modos.
Quin triplici, ut plures capias, id promere lingua
Iam prius ista fides officiosa fuit.
Res nova, res nusquam nostris audita diebus
Exempli pariter laude praeire pii!
At negat hoc, vestrum potuit qui nosse parentem,
Cui modo vix aliquos cernimus esse pares.
Vidi ego, quin bene me crebro vidisse recordor.
(Quippe solet melius visa notare puer.)

*) tardius inserta.

Vidi saepe tuum genitorem, tempora canum,
Ante aras flexo procubuisse genu.
Hortus erant illi, tum vinea proxima nostrae,
Huc solitum vidi saepe meare senem;
Nec solum: manibus nam sacra rosaria gestat,
Angelicique iterat saepius oris „Ave"
Dumque domum repetit, resonae modulamine vocis
Concinit in laudes, Virgo Maria, tuas.
Saepe viden'? genitor dixit meus: ista probari
Quis dubitet summis vota precesque polis?
Credito, nate: manet tales benedictio coeli,
Quae simul in soboles ibit, eatque pias.
Dicta fides probat. en! tanta virtute parentem
Ceu redivivum, te nos celebrare iuvat.
Felix, qui sequeris vestigia pulchra parentis;
Qui poteras talis filius esse patris!
Quin hunc, quin alios hac vincis laude, Georgi,
Quam tibi non iustam livor et ipse neget.
Scilicet exemplum, si non imiteris, adeptum,
Heu! citius praeter, quam levis umbra, volat.
Marmora et aera solet corrodere lenta vetustas,
Aufert et pretium, picta tabella, tuum.
In tua, quae Matri ponis monumenta Mariae
Aetas longa nihil iuris habere potest.
Utque stat, et stabit superum virtute columna,
Quae summo posita est vertice, Petre, tuo:
Immaculatae stat sic gloria, lausque perennis.
Sic tua firma, precor, stet, maneatque fides.
Sancta fides, tanto meritorum fulgure cinctum,
Quid? nisi coelituum luce beare soles.

HEROICORUM

LIBER UNUS.

RELIGIONIS. AC. RERUM. DIVINARUM.

PRINCIPE. CURA.

SUMMO. TERRAE. PRINCIPI. PATRIAE. PARENTIBUS.

MAIORIBUS. NATU.

DEBITO

OBSEQUIO. AMORE. PIETATE. HONORE.

PERCOLENDIS.

VIRTUTIS. ET. BONARUM. ARTIUM.

BONI. NON. MINUS.

AC. PULCHRI.

STUDIO. AC. SENSU.

IMBUENDIS.

ASSIDUITATE. LABORIS. AEMULATIONIS.
FERVORE.
IMPELLENDIS.
HORRORE. AC. FUGA. VITIORUM.
COMPLENDIS.
CEREIS. PRAESERTIM. PECTORIBUS.
DEVOTUM.

HEROICORUM
LIBER UNUS.

I.

I. *Applausus celsissimo principi* PAULO ESZTERHÁZY *de Galántha etc. supremi comitis munus comitatus soproniensis sollenniter auspicanti, a l. regia civitate Kis-Marton editus 1834.*

Esztoradum genus est, magnorum magnus avorum
Heres, et fama dudum super aethera notus,
Laetitiae seges unde bonis amplissima cunctis
Exoritur, tumidisque ruunt pia gaudia rivis.
At te prae reliquis urbs fortunata, decoro
Divi Martini sortita a nomine nomen,
Festivae testis lucis, parsque ampla, quid usque
Exhilarat? gratosque ciens in pectore sensus,
Quid iubet, ante alias, calidis fervescere votis?
Scilicet exultans cernis per saecula claram
Esztoradum semper famam revirescere, longo
Quaesitam dubii Martis, fideique labore.
Cernis vicinas urbes, atque oppida totis
Sedibus emotas ad te se effundere, cernis
Festivos ignes; alios fulgentibus armis
Praecinctos, alios auro, gemmisque micantes.
Haec inter tormenta tonant, turresque resultant
Pulsatae, et late resonans ferit aethera clamor.
Non deerunt, quos pompa capit, quos res nova captos
Mirantesque tenet, quos iubila laeta morantur.
Sunt etiam choreae multis, sunt tympana curae
Atque tubae, et plenis convivia pinguia mensis.
Haec alios: non te Kis-Marton, talia mulcent
Gaudia; sed virtus est cari principis alma,

Aemula maiorum meritis, nullique secunda
Pannonidum in patulis terris, lateque per orbem
Didita, et aeternis patriae iam credita fastis.
Haec te delectat, quae te devinxerat olim,
Dum vice nutricis tenero se iunxit alumno
Auricomumque caput libans: mea gaudia, dixit,
Paule, decus quondam generis, lux plurima terris,
Regnorum fulcrum, custos publicaeque salutis;
Eia meis monitis prudens parere labora:
Ante tuos oculos maiorum vivat imago,
Incorrupta fides patriae quos iunxerat olim
Et patribus patriae, nullis concussa periclis.
Non illos poterant Zephyri mutare faventes,
Non rabies Martis, non spicula sortis iniquae.
Nicopolis vidit caesos, et Varna, Mohácsque
Esztorados regi semper patriaeque fideles,
Vidit Nagy-Vezekény: verum non abstulit omnes
Una dies Fabios; atro perfusa cruore
Stirps crescit magis, atque magis, ferturque volatu
Sublimis, supraque nihil, nisi regna relinquit.
Nicolaum, Paulumque viden? quo scandere quondam
Fas fuerit meritis? aut quid generosior ultra
Praestiterit vis magna virum, fideique verenda
Maiestas? ambo bellis, animisque fatigant
Odrysias acies; ambo sunt fulminis instar
His, quos caeca fames, et amor sceleratus habendi
In proprias armant clades patriaeque ruinam.
Plura locuturam: Sic svavibus una sororum
Alloquitur verbis (est cui prudentia nomen)
Non ego, qui nostro sit munere ditior alter,
Quam Paulus, patiar: quidquid removere profanis
Cura mihi est oculis, faciam, tibi Paule patescant.
Inde catus fueris regnis, populisque beandis
Arbiter, inde graves iras, bellique tumultus,
Quod stricti nequeant gladii, nequeantque cohortes,
Sedabis valido facundae vindice linguae.
Accedensque soror iustitia: trado bilancem,
Inquit, ne livor tua possit carpere facta,
Queis noster numerus, nostrum queis numen adhaesit.
Numinibus tantis cincto mox cetera turba

Vintutum comes it. Non hinc genus omne laborum
Formidare valet Paulus, non taedia curat,
Difficilesque vias: et quamvis dulcius illi
Nil patrio fuerit coelo, vultuque suorum;
Obsequio addictus regum, publicoque decori
Plus quam lustra quatuor peregrinis ducit in oris.
Et qua laude? rogas: quamtumvis Belgica tellus
Dresdaque nihil referant; Londinum, urbs inclyta toto,
Qua patet, orbe satis celebrabit. Nil mea maius
Musa unquam recinet, nil his illustrius unquam.
Praeside ter felix tanto sempronia tellus!
Haec tibi iure dies niveis signanda lapillis,
Haec fastis celebranda tuis: hinc scilicet aequum
Fasque redit; meritis hinc praemia iusta parantur.
Kis-Marton vero, reliquis felicior oris,
Alloquiis recreanda bonis, vultuque sereno
Principis optati, quo te tua gaudia, quo te
Vota ferent? age, stellatum respice Olympum:
Alme pater, referens, cui sunt mortalia curae,
Hanc quaeso, tutare domum, serosque nepotes
Propitios nobis dona, patriaeque saluti
Devotos, Paulo que pares et moribus aurêis
Et vita, pyliam superet quae laeta senectam!

II.

Ad Georgium GIRK *episcopum adrasiensem, per grandaevum Petrum* KLOBUSICZKY *archiepiscopum Colocensem, suum in pontificalibus suffraganeum consecratum 1838.*

Roma cupit, rex vult, votis accede, Georgi,
Praesulis annorum numero, meritisque decori.
Dulce pio nato est carum relevare parentem,
Et vice grandaevi duros tolerare labores;
Sive dies poscat fallacibus horridus Austris,
Seu minuat vires insano Sirius aestu.
Aspice, qui cupiat te sacram sumere mitram,
Partitumque tibi numen, divosque calores,

Usque pares propriis! velit et fragrantis odore
Ungi malobathri, quo tu, velut ipse, serenos
Exhales operisque boni et virtutis odores.
Munirique pedo, cuius reverentia totum
Obsequii moneat, salvum quoque servet ovile;
Insidias prohibens hostis, morbosque minaces:
Et cruce vallari pectus, collumque monili
Ornari, et digitos radiantis luce pyropi.
Ut velut haec, tua vita micet, fulgoreque sancti
Urgeat exempli, captivaque pectora firmet
Sub cruce pro coelo nil formidare laboris.
Timotheum Paulus sic quondam muneris ampli
Ire vices voluit, curasque subire sacratas.
Scilicet his decus ille gregis grandisque voluptas
Petrus amor factus superis et proxima cura.
Iam prope ter denos sollers superaverat annos,
Et vigil in domini rebus; non membra labori,
Non animos curis subducens: gloria dudum
Inde perennis ei praecinxit tempora lauro,
Et dedit aeternam, meritorum praemia, famam.
Ipse quidem renuit, tacitusque latere cupivit,
Prae cunctisque animae decori curaeque salutis
Intentus, variae fugiebat murmura famae:
Haec alii quaerant pugnacibus undique dextris,
Inter opes alii, dicebat, et inter honores
Quamlibet excelsos, aut docta volumina: sacros
Ante pedes domini fuerit mihi dulce morari;
Hinc mihi spes, hinc laus, hinc gloria certa venite!
Sic ille. Ipsa tamen properat facundia, blandae
Quam Charites cingunt, pulchrique sequuntur honores.
Hisque nitor se addit templis dignissimus, et quae
Diva levat durae vexatos crimine sortis;
Virtutumque cohors omnis, pietasque, fidesque
Iustitiae soror, et penitus mens dedita coelo.
Nec mora: se Petro comites, fidasque ministras
Foedere consociant stabili. Laus inde perennis
Surgit, et inde decus; nam plenus numinis, ore
Aureus usque rapit mentes et pectora mulcet.
O quoties lacrimas svadae virtute doloris
Elicuit! quoties discordia pectora miti

Composuit nexu! quoties de cordibus atras,
Dissolvit nubes, lucemque revexit amicam.
Iamque honor illustrem meritis per culmina vectat
Ardua praesuleis decoratum insignibus; unde
Sol velut ex alto radios, sublimis amoenum
Virtutumque iubar vibret, siccetque madentes
Et viduis oculos gregibus pressisque sinistra
Sorte; iubens late miseras procul ire querelas,
Istri quas tumidi, quas expressere furores
Vulcani. Sed enim speciosam cominus Archi-
Praesulis insolito sponsam fulgere videmus
Cultu; quaere Titum: mea lux, mea gaudia, dicet,
Tam pretioso me Petrus praecinxit amictu,
Et solida argenti praecepit lampade nostram
Exornari aram. Quae iactent plurima circum
Templa tenent: verum prae cunctis ecce! Csanád se
Offert, et Petrum super aethera tollere certat,
Laetaturque polis nexu propiore revinci.
Ast ibi, quae tendit (nec ludor imagine vana)
Poplite turba minor duplices ad sidera palmas,
Percarum Petri nomen, laudesque resultans?
Agnosco: nuper languebat corpore toto;
Sederat ore fames, et vultus pallor habebat,
Nudaque veste prius, nudoque sub aetheris axe
Nocte dieque patrem amissum, matremque dolenter
Ingeminans votis coelum, precibusque rogabat.
Non tulit hanc speciem Petrus, tectisque receptam
Et vice solliciti complexus patris, amanter
Providet aere suo. Pia, grato pectore fusa,
Vota valent: soles hinc cari praesulis omni
Nube carent, careantque, precor, per tempora cuncta.
O tanti, senio confecti praesulis, almas
Exercere vices posthac, tibi quanta, Georgi,
Gloria! quale decus! tua nam bene cognita virtus,
Doctrinaeque seges, rebus mens apta gerendis,
Sermonisque lepos, vultus quoque gratia multa
Ut cunctorum animos, sic pectus praesulis aevo
Provecti retinent devinctum, speque morantur
Perdulci, fore, qui pariter per coelica ducat
Pascua virtutum clerum, populumque fidelem;

Qui pietate pari sanctorum sancta frequentet,
Pastoresque gregi sacro fidosque ministros
Divino donet verbo, iam numine plenos.
Haec tibi sacra dies, nunquam non festa recurret;
Hac tibi fusa die devotae suscipe musae
Vota, dies pylios et lustra beata canentis.
Tempus erit, meritis ubi digna camena perennes
Pro patria, pro rege pio, populique salute
Curas praesuleas aeterno carmine dicet.

III.

Ad Ioannem Bapt. GROSSER *praepositum scholarum piarum provinciulem, die eiusdem natali 1839.*

Quae mihi, care pater, quae praeses docte, tuarum
Diffusos laudum numeros componere felix
Musa dabit? tecum gaudet pius ordo serenos
Exercere dies; musarum gestit alumnus
Cernere, delibans pia sacrae basia dextrae;
Conspicuis celebrare viris, procerumque coronae.
Nec patriae tantum fines, vicinaque late
Regna sonant nomenque tuum, laudumque tropaea:
Quin terrae norunt alio sub sole calentes
Te clarum, memorantque tuae praeconia famae.
Tanta tuis meritis iam nunc, tibi gloria tanta est!
Quae tibi fata parent virtutum praemia, solis
Id superis notum: ast venerandi gloria nostra est.
Haec lux te vitae, lux haec donaverat amplo
Artibus ingenuis decori, dulcique tuorum
Delicio: lux haec merito festiva refulget
Cunctis inde bonis. Quae natum vidit, et ipsa
Te circum vidit Charites, doctasque sorores
Mollibus ornatas sertis, palmasque ferentes;
Quae te muneribus ditabant, longaque vestrae
Tempora fatidico resonabant carmine vitae.
O quam pulchra fuit, quam coelo haec grata corona!
Illic ardor erat superum, probitasque, fidesque,

Et pudor, et niveo laudata modestia vultu.
Quin et amor musis penitus devinctus, et illi
Adiunctus labor, et constans industria: svada
Eminet hinc, sed enim cupit isthinc iure mathesis
Prima tenere locum. Maturum non minus adfert
Munera consilium, sua dat praeclara regendi
Dexteritas, cumulatque suum sapientia numen:
„Me duce carpe viam, dicens, nec devius ibis,
Et tuta rapidas vitabis lintre Charybdes,
Nunquam Scylla ferox terrebit, lucida nunquam
Sidera destituent cursum: seu Palladis artes
Assiduo tractes studio, seu voce potente
Mentibus instilles teneris; aut munere Phoebi
Functus, agas gnavis comitemque ducemque magistris."
Talibus illustrem quum cernit dotibus ipse,
Qui placido talem gremio gaudebat habere,
Ordo pius socium: „Quin clavum corripis, inquit,
Navigii nostri, duce te rimabimur astra,
Et blandas Zephyrorum animas, et commoda cursus
Tempora; perque spei transvecti saxa fretumque
Iam fortunatas laeti advertemur ad oras."
Dixerat: ut Tiphym te puppis credita vidit
Pandere vela catum, ventosque vocare faventes,
Et fluctus positos, coelique redire serenum;
Gaudia iusta fovens, longo simul ordine sortis
Commoda venturae, et famae decora alta recensens:
„Ecce meos, dixit, natos sub praeside caro
Quantus habet studii fervor! quae gloria vectat!
Pene negat teneras laurus tot gignere frondes,
Horum de numero quot tempora docta reposcunt.
Cecropiae veluti volucres per florea rura
Vere novo late volitant, croceosque liquores
Sedula turba legunt, stipantque fragrantia cellis
Mella: meis pariter cunctis nunc sedibus almae
Fervet opus (princeps mihi semper cura) Minervae.
Pars sacris semet studiis devovit, et ardet
Praepetibus ferri pennis vicina per astra.
Pars studet immensae scrutarier abdita fixo
Lumine naturae, causasque videre latentes.
Texere praeteriti labor est his, atque recentis

Temporis acta, simul doctorum voce probari.
Quam multis curae est facundi Tullius oris!
Quam multi placidis faciunt pia sacra camenis!
Maxima pars sed enim teneris dum semina recti
Pectoribus mandat, lolium, lappasque nocentes
Naviter evellens, venturis consulit annis."
Talia dum memorat, dum talia saepe tuetur
Ordo pius, novus annorum praeterfluit ordo;
Et patre sub tali, sub tali praeside rursus,
Atque iterum votis concordibus, aurea certus
Vivere lustra, cupit flagrans sine fine manere.
At nos, praesentem qui talem cernimus, et quos
Saepius alloquio recreas, vultuque paterno,
Quae tibi promemus meritae praeconia laudis?
Haec nostras superant vires: hinc pectoris imi
Vota per innocuas coelum penetrantia palmas
Tollimus, innumeros soles, et nube carentes,
Laetas consilii messes, largosque laborum
A superis fructus devota mente precati.

IV.

Ad Glycerium SPÁNYIK *e scholis piis etc. in munus assessoris centralis censurae cum commissione studiorum coniunctae introductum 1840.*

Te mea, parva quidem, nec grandibus ire cothurnis
Audax musa pia compellat voce, Glyceri!
Voce pia, quid enim? pietas nisi candida sacram
Accendit flammam, meritis qua thura magistris
Devota ardentis crepitent in pectoris ara.
Quidve pium tenerae magis est, iustumque Thaliae?
Quam quos fama volans, quos virtus ardua vectat,
Carminibus dignos venturis dicere saeclis.
Hic noster sit amor, cursus haec verset arena
Nostros, hocce, precor, mea ludat cymbula ponto.
Nec nisi virtuti veniunt bene praemia; nec stat,
Virtuti nisi laus, et honos, nomemque perenne.

Quos favor evexit, quos Ditis gratia portat
Et genere et proavis et patris nomine notos,
Degeneres secus et nullo fulgore nepotes,
Musarum a sacris iubeo procul esse profanos.
Spányik ades sacris nostris! te musa merentem
Eripuit vulgo, claraque in sede locavit,
Et dixit: mea lux posthac, mea gaudia sunto.
Sic tu budensis lustro plus dirigis arcis
Musas; iam late celebreris ut alter ab illo,
Docta novenarum quem poscit cura sororum.
Ingenuis duce te surrexit moribus aetas
Aurea, per seros etiam recolenda nepotes.
Nec minor isthmiaco teneris incendit alumnis
Pectora fervor, agens alacres per acuta viarum,
Certa quibus pateant penetralia Palladis almae.
Quaque novis stimulis instas currentibus, et qua
Luce praeis multa studiorum clarus, amorem
Undique respirans, incendis pectora amore
Musarum sacro, laetos per et ardua ducis
Culmina: ceu volucris producit in aera prolem
Ante volans, comitemque monens, solemque tueri
Provocat, ipse tenens defixo lumine primus.
Hocce decus merito Szegedinae iam prius orae
Attribuere tibi, seu cum rapis ore diserto
Attonitas, animisque faces virtutis amore
Subiicis ardentes, seu praeses et arbiter adstas
Impensas medius vires subigentis arenae;
Inque vetus revocas aurum vigilantior Argo
Mores: usque tamen primis percarus, et imis.
Has ego spes alui, dixi haec praesaga futuri,
Cum te sollicite saeclorum facta priorum
Inclyta nocturno pariter, studioque diurno
Volventem vidi. Quot te monumenta sedentem
Stipabant! stantisque manus, oculosque tenebant
Pondera quanta! graves librantis pectore causas
Fatorum, humanas versantum temporibus res.
Inde cohors studiosa tuo iam numine ductus
Laetior acta patrum, magnorum et discit avorum.
Te pariter monstrante viam salebrosa magistris
Semita planior est cives formare tenellos;

Et lappas animis tribulosque evellere, glebae
Inque vicem mandare bonae bona semina, cautis.
Iamque liquet, decus unde suum pius ordo vocare,
Curque amet, et cupiat tali recubare columna.
Ille tui dotes animi, doctosque labores,
Et vigiles noctes pensans, et acumina mentis:
Spányik eris, dixit, cari qui praesidis amplis
Adsistes curis, animosque humerosque viriles
Subiiciens oneri tanto, lucemque serenam,
Qua te perfudi, cumulata luce refundes.
Spes valuit. Non si pietas velit ipsa profari
Digna bonis natis; non, si facundia praesens
Fors maiestatem cupiat super astra levare,
Te nisi deposcat fungi vice: tantus amore
In Bollam assurgis tenero, et pia pectora ducis.
Tantus Franciscum veneraris. Gloria saecli
Iste fuit, generis decus immortale, suorum
Deliciae, dum fata dabant: qua flumine vestri
Eloquii tam cara suis revocatur imago;
Quanta fuit, qualisque manet, dum cernimus ipsam,
Mitescit dolor, et lacrimae siccantur amantum.
Nec minus audiris, qua consiliantibus adstas
Patribus, et suades Tiphyn, cui credere clavum,
Quosque super transtris socios vidisse laboris
Expeterent, virtutis amor, doctrinaque signent.
Utque mones, pronis dominaris mentibus: inde
Exoptata piis revirescit patribus aetas.
Ipsa etiam aeternae genitrix veneranda salutis
Relligio, vigiles te vidit ducere lunas,
Et laetata tuo studio, liquidoque labore:
Hoc, ait, in votis habui, sic poscimus aris
Turba tenella meis ferat aequos thuris honores.
Ocius atque utinam salubres lux publica nisus
Aspiciat, fluctusque premat, solemque reducat
Communem! Sed enim patriae qui vivere semper
Arsit amans, patriae fugiet fors lumina patris?
Non favor hunc meritus, non regia gratia quaerant?
Quin, age, dixerat haec: Spányik quoque pulchra coronae
Gemma refulgebis, curis socioque labore,
Me duce musarum causis et moribus isthinc

Evigilaturae: tacitum ne pectora virus
Cauta minus subeat, quadam nec parte vacillet
Cura, bonos quondam patriae latura nepotes.
Hic mihi Pierides solitis asssurgite votis
Altius, et dignum sapientis nomine regis,
Atque viri dignum meritis concedite carmen:
O regum fasces! o gloria prima! Deorum
Iure genus! quorum sortiti regna, vicesque
Per terras curis gentes populosque beatis!
Oceano similes magno, qui flumina mille
Suscipit, et patriis ubi fovit leniter ulnis;
Protinus anfructus notasque meare per oras,
Et iubet ampla iterum partiri commoda terris.
Vos modo cura minax Bellonae distinet, acres
Hostibus obiectare manus, finesque tueri:
Consilio meliore sacram modo pacis olivam
Inseritis, populis geniturae plurima fructus
Gaudia. Relligio placido nunc corde moratur;
Nunc artes, musaeque petunt; iam culpa rigorem
Exhorret iustum; iam virtus praemia poscit
Debita de manibus vestris: lex denique danda,
Queis subnixa salus regnis, fortunaque crescat.
Tot curas inter, tam grandia munera, o rex
Ferdinande! quid est? vigiles quod turba piorum
Obtutus patrum teneat: latet illa penates
Angustos inter passim, parvoque beata
Assiduas versat curas, durumque laborem,
Nil, nisi lucra poli, patriae, regisque benigni,
Immemor usque sui, quaerens. Tua scilicet aequa est
Dextra piis meritis, et quos labor improbus, et quos
Consilii matura seges vallaverat amplo
Lumine, non tardas clemens attollere in altum,
Unde suum late, velut astra micantia, lumen.
Dispensent. Primo, Spányik, tibi gloria tanta
Tanto de nostrum numero venit ista, virente
Quis palma insignem dubitet? nostris decus isthoc
Felix tu accumulas fastis: tibi nostra vicissim
Prae reliquis data vota calent, quae rite probata
A superis annos cumaeos, lustraque texent
Aurea, iusta tibi, patriae nobisque decora.

At vos, o socii! venerantes regis amata
Nomina, devoti superis pia thura litate.
Moxque novis animis, qua, lucida sidera, votum
Spesque vocant patriae, solitis insurgite remis.
Sic, velut alta Pharos, cursus reget obvia regis
Gratia, sufficietque animos; Spányikque perenni,
Quo trahat, exemplo memori sic pectore stabit.

V.

Ad natalem Ioannis Bapt. GROSSER *praepositi scholarum piarum provincialis 1840.*

Annua vota damus, praeses doctissime, nec te
Votorum pigeat nostrorum: scilicet ardes
Ipse novis meritis assurgere, luceque multa
Undique stipatus nobis virtute praeire.
Quid vetat haec nos mirari? meritisque tributum
Pendere conspicuis laudum, queis optima quaequae
Pectora mulcentur, gaudentque per ardua late
Culmina virtutis memores sibi texere lauros.
Quin etiam exemplo succendere corda potenti
Aemula, perque vias famae, palmaeque perennis
Ducere; nil rigido conterrita corda labore,
Nil tetricis curis. Haec gloria denique summos
Ambiit una viros semper: virtutis amore
Temnere dura; salis tumidas calcare procellas,
Utque faces lumen liquendo spargere. Grosser
Care, tibi laus haec, haec surgit gloria digno.
Hoc iuga reflectunt Tatrae, mollesque per aequor
Hungariae patulum volitantes leniter aurae
Hoc repetunt: talis tua, praeses, fama frequentat
Alta per ora virum, properatque relinquere fines
Pannoniae, et nomen peregrinas edocet oras.
Talem te praesens veneratur clara virorum
Turba, cohorsque nitens iuvenum, et totus pius ordo.
Ordo pius duce te saturnia vivere lustra
Delibans, semel, atque iterum concordibus instat

Votis, teque cupit supremum prendere clavum:
Esto caput, dicens, nostrum, vigor ipse salusque
Protinus exsurget membris, et singula fervor
Igneus officii rapiet; salebrasque minaces
Despiciens, per iter famae, laudisque decorae
Ordinis usque scopos eluctabuntur anhela.
Annuis. Inde pios patres novus occupat ardor,
Et nova vita calet venis. Ut veris amoeni
Blandos ad risus, Zephyris spirantibus, omnes
Elicit e terris vitas lux aurea solis.
Nec mora, ver quot habet violas, quot Flora colores,
Exiliunt, varioque solum mox tegmine pingunt.
Tum sociae Zephyris animae contermina late
Aera pervolitant halantes munus odorum.
Sic, duce te patribus, pietatis nomine claris,
Vita vigorque redux solitos ardentius urget
Cursus; nec propriae tantum fulgore vocatis
Famae, quam dulci patriae communis amore.
Hi teneros cives, venturi germina saecli,
Assiduo formant studio: nunc cordibus acres,
Queis horret natura ferox, evellere sentes;
Nunc tenebras mentis doctrinae luce fugare
Intenti. Pulchras pars curat Palladis artes;
Acta patrum volvunt alii; pars abdita rerum,
Arcanosque sinus rimantur: cura salutis
Permultos capit aeternae, verique cupido,
Terris ereptos, sublimes inserit astris.
At tua cura, velut patris, complectitur omnes,
Inspiratque animos, et vires sufficit aequas.
Hic placidis animans verbis, currentibus instans
Illic, hos recreans aegros: sed quoslibet uno
Concludens vinclo, quae laus pulcherrima, amoris.
Stat simul excubias semper tua cura, faventes
Excipiens Zephyros, cauteque in lintea pronos
Dispensans; simul astra poli dispescit acuto
Lumine, et infestos vigilat praevertere Cauros.
Sic tua vita tuis fax est: sic plurima surgit
Lausque, decusque tuis duce te, qua plurimus amplas
Danubius devolvit aquas, qua pisce Tibiscus
Usque gravis sinuat cursus, qua culmina Dacus

Arduus in nubes condit: teneraeque iuventae
Doctrinae seges accedunt, et gaudia vitae.
Huc te evexerunt musae, vigilesque labores
Artibus addicti pulchris; huc gratia linguae
Ducere corda potens, sociataque moribus aureis:
Huc ardens studium patriae, noctesque diesque
Spes refovens laetas, monitis quoque cerea ducens
Lustra piis, verboque tuo, vitaque probatis.
Ter nos felices, queis coram cernere talem
Astra benigna sinunt, nostri quin saepe laboris
Arbitrum venerari et fausta hac luce, futuro
Quae tibi prima fuit tali, pia vota dicare.
Alme pater! prona siquid pietate meremur,
Hunc talem nobis servato recentibus isthinc
Viribus ad pyliam salvum vegetumque senectam.
Sic lux haec nobis semper festiva recurret.
Sic laetos aris repetemus thuris honores.

VI.

Ad Franciscum Salesium JAEGER *e scholis piis a consiliis et epistolis praep. provincialis scholarum piarum 1844.*

Sacra dies fulget musis celebranda, Salesi,
Haec tibi cum sociis merito nobisque refulget
Sollennis votisque piis decoranda: sed illi
Quid, quaeso, calamis? quid amica voce precemur?
Cui vigor in membris, cui stant in corpore vires.
Quem comitatur amor communis, gratia cingit
Triplex, ambit honos meritus; quem fama superstes
Arcani rigidum custodem, laudeque clarum
Virtutis medicae per saecula cuncta sonabit.
Cui mores nivei, sermonis candor, et oris
Maiestas, sensusque sedens sub pectore pulcher
Pronos conciliant animos, laudemque perennem.
Sit favor hic superum constans, sit gloria nullo
Interitura die, votorum summa meorum est!
Cetera sponte fluent. Cana adproperare senectus

Horrebit; rugae procul et procul omne doloris
Monstrum aberit; pleno residebit Cynthia vultu.
Saepius haec inter vigilans tua cura capillos
Et barbas iusta compescet forfice; vestes
Diriget incomtas; verbis et fronte severa
Ore tamen modicum ridente redarguet omnes,
Queis iuvenes passim, queis tempora nostra notantur,
Culpas. Adveniet forsan quis languidus ore,
Aut membris, stomachoque malo, poscetque salutis
Totus opem? nunc nunc bone nobis Phoebe faveto!
Quid Charites possint, quid amor, quid promta voluntas
Hic vidisse licet. Accedis? sella parata est.
Tum blandis verbis: quis languor? quae mala torquent?
Quaerit, quis stomachus? quae somnia? tempore quanto?
Hem sat! mox claves, mox scrinia dispicit: ecce!
Librum forte putes, sed enim cito falleris; isthic
Centenas videas minimis, mihi crede, lagenas
Usque pares: quid tum? millena papavera, dices?
Nil minus: hic virtus, hic vis prope coelica vel plus.
Crede, velim, mox sume, precor: iam certa salutis
Pignora habes; superest te dicere rite valentem.
Sic lusisse iuvat. Quidquid sit, praeses amatus
Et valet et vivit: nos carmen vovimus anno
Praeterito: voti damnatos iure, Salesi,
Promissi immemores carpas. Sint ista perennes
Solventis grates animi documenta, futuri
Spes non vana, olim condendi carminis, unde
Rite pium dicas, gratum quoque: quando tuorum
Sollicitum patrem, multo fulgore coruscum
Virtutum exemplar totus venerabitur ordo.

VII.

Ad Joannem Bapt. GROSSER, *scholarum piarum provincialem, die eiusdem natali.*

Instaurate diem votis, superosque precati,
Huc, duce me, iuvenes, properos huc flectite gressus!
Ista dies raris merito adnumeranda diebus,
Et cressa signanda nota est; hanc vota petebant
Nostra, haec votivo celebranda est carmine nobis.
Ista piis lux fausta scholis, lux fausta camenis
Affulget, grato recreans pia lumine corda,
Spesque ratas, fructusque fovet, quum debita coelo,
Et patriae promi cernit sua rite tributa.
Haec tibi natalis, praeses dulcissime, nobis
Est potior propria: quid enim? qua nascimur omnes
Sorte movet lacrimas meditanti: nudus, et impos,
Provida defuerit si matrum dextra, futurae
Prorsus inops vitae quisque est, et signa doloris
Nonnisi vagitu querulo vix promere gnarus.
Si vivas, valeas, vegeto si corpore praestes,
Nutricum bona cura facit. Quid postea? cresces
Rusticus, atque fera cresces immanior omni.
Mitior ut vivas et culto pectore, gnavi
Mentoris est: isthinc generosos cernis Achilles,
Non timidosque mori Codros, modo salva perennet
Patria: quaque foris moderatur Nestor acutus,
Et sua iustitiae qua denique thura litantur,
Gloria Chironum est. Nunc quanta est, praeses amate,
Laus tibi, non tantum, teneris quia totus alumnis
Vixisti, sollers quondam praecepta salutis
Praecipue inculcans, solidae quoque semina vitae;
Quin et conspicuus lauro sublimior ibas
Dux, qua te Arch'medis numeri, tabulaeque vocabant;
Sed quia perdulci musarum captus amore
Munere bissenos fulgebas praesidis annos.
Laitha mihi testis fueris: nemorosa sub umbra,
Qua tacitos volvis latices, meditantis, et imo
Musarum curas volventis pectore nisus,
Heu quoties miratus eras! Hinc laude perenni

Incedit, siquos prius egerat, altior annis
Óvár, et memori recolit tua nomina mente.
Viderat ordo pius, nec, quae praesagia dudum
Mente fovet, non certa videns sub praeside tali,
Et patre gestit amans laudem sibi quaerere palmae:
Grosser erit, memorans, quondam saturnia nobis
Tempora qui revehat, promtus meditata ferendo
Balsama vulneribus, quaeque incubat atra veterni
Pectoribus noctem, revocata luce, fugando.
Ignibus inde novis, qua patria, quaque parentum
Votaque spesque vocant, ducibus provisa iuventus
Expertis, animosa ruet per docta Minervae
Castra, legens famae titulos, laudumque triumphos.
Inde calor penitus venis, imisque medullis
Haustus, germinibus vires, et pectora nostris
Sufficiet: pius hinc coetus redivivus amore
Doctrinae priscis memorabitur aemulus annis.
At modo sub tali iam per duo lustra beatus
Praeside, spes late superantia gaudia carpens,
Quis tibi votorum finis? quae meta calentis
Fixa tuae pietatis erit? quo lumina cunque
Obtutusque feras, totidem monumenta sagaci
Occurrunt menti, quae curas, quaeque loquuntur
Sollicitum, quo te complecti gaudet, amorem.
Nempe tuum est, praeses, quod laetior undique coeli
Adspiret facies patribus, publicamque carinam,
Tot scopulos inter vitae, fluctusque minaces,
Mollior illaesam Zephyrorum gratia vectet.
Idque tuum est: transtris pariter, proraque locati,
Speque hominum, votisque procul, nisi sidera fixis
Quod teneant oculis, urgentes dura laborum.
Quod nova succrescat seges, et quod laudibus ista,
Quos vidit meritos prior aetas, vincere pugnet.
Pulchrum etiam fama patrios excedere fines.
Siqua fides animo, siqua est reverentia legum,
Siqua sedet fibris alienae cura salutis,
Exemplis, monitisque piis recludere: praeses,
Vindicat haec pariter laus te sibi: Roma probavit,
Adnumerans sociis, queis curae est, cordeque toto
Relligionis amor flagrat, lateque calorem

Divinum spargit. Quin haec quoque, siqua tamen sit,
Musa, domi latitans audaces cauta volatus
Tentare, exultans romano tempora serto
Ornata assurgit, tua, praeses, nomina coelo
Insertura: tuis ibi digna est gratia factis.

VII.

Memoria anni 1831.

Tempora plena gravis terroris, plena tumultus
Insani, et denso squallentia funere maestus
Fert animus memorare. Poli, queis carmina curae
Sorsque hominum est, nostro, precor, adspirate labori.
Hunnia, dulce solum patriae, iam per tria lustra
Optatae viridi pacis recrearis oliva;
Pacis per caedes, per dira incendia belli,
Perque vias multo deformes sanguine tandem
Ad te allabentis. Cesserunt arma, furorque,
Et ferus excessit Mars, et nudata minaci
Casside iam Pallas. Gladios et tela cruenta
Cernimus in falces sinuarier inque ligones.
In rastros abeunt hastae: iam vomere curvo
Rustica plaustra gemunt, qua horrendis nuper onusta
Tormentis: pro belligeris lituisque tubisque
Tityrus agresti securus ludit avena.
Opprimit arma quies. Revirescunt multa quietis
Commoda per riguas valles, perque oppida et urbes.
Qua prius hostiles equitum peditumque catervae
Diffusos campos, sata laeta, boumque labores
Crudis calcabant pedibus, pingvissima nutant
Dona sacrae Cereris: tremulis balatibus auras
Interea replent agni, pecudesque tenellae
In pratis teneras tondentes mollibus herbas.
Et de vicinis rubicundus ridet Iachus
Collibus, ac tristes pellit de pectore curas.
Cana fides pietasque et morum candida rursum
Simplicitas redeunt, et laetos gaudia pennis

Purpureis risus inter volitantia ludunt.
Libertas etiam tumidis iactata procellis
Gallorum, terris pene exsul tempore longo,
Ut recreet populos, tuto redit aurea calle.
Succedit Maia genitus, studioque calenti
Corda hominum incendit fervens. Mox artibus illi
Desudant variis, certantque ingentibus ausis
Pro se quisque gravem propriis depellere tectis
Pauperiem. Secat ille salum, mercesque petitas
Finibus ex aliis secum vehit, atque morantes
Increpitat Zephyros: ille altam exscindere silvam,
Antiquas volucrum latebras sedemque ferarum,
Gaudet. Sunt aliis curae impedimenta viarum
Tollere: sublimes aliis ad sidera moles
Cura atque impensis educere grandibus. Huius
Est studium antiquas late emulgere paludes,
Inque graves frugum siccatas vertere terras.
Illius hirsutis supponere serica lanis
Fervet amor; tempeque locat, ramosque feraces
Ponit, ubi steriles surgebant frondibus alni.
Sic per agros, per prata, vias, per flumina, perque
Rustica tecta, metu pulso, nova vita resurgit.

Commoda pacis in urbibus.

Urbes quid memorem? non hic (ut crimine caeco
Nonnulli spargunt) residet nisi torpor inanis,
Blandaque mollities turpi sociata veterno.
Quin florent artes, docta stimulante Minerva:
Mille modis operisque calent studioque recentis
Non minus ac veteris cultus conscendere culmen.
Vivos in vultus hic marmora mutat et aera:
Zeuxidis ille novos tabulis facit arte colores
Vincere naturam certans: hic serica pingit
Stamina et artificem texens imitatur Arachnen.
Sunt etiam, queis alta placent praecepta Platonis,
Sunt, quos Arch'medis numeri, tabulaeque morantur.
Quin alius propior scandens fulgentibus astris
Ventorumque vias superans vaga sidera certis

Adstringit numeris, rutili viresque trahentis
Solis et implexos astrorum dispicit orbes.
Abdita naturae rimatur sedulus ille,
Aequoris hic refluas notat undas, omniaque, alto
Quae coelo terrisque videt, miracula rerum
Ingenio subdit, studioque imitatur et arte.
Ast multi leges, aeternaque munera legum,
Et retegunt queis alma Themis, queis candida gaudet
Illa hominum custos Astraea. Machaonis aris
Liba ferunt multi, tetras de corpore febres
Pellere, et intenti falcem prohibere minacem.
Hic colit Aonidas Phoebumque, et tempora lauro
Cinctus hyanteo perfundi flumine gestit
Invidiam temnens et inania murmura vulgi.
Fervet ubique labor. Ceu pulchro vere per agros,
Cum pictae glomerantur apes, et florea libant
Germina: pars ceras condit, pars aurea stipat
Mella cadis, reparatque hiemis tristissima damna.
Nec mora nec requies ulla est: late omnia circum
Prata sonant fontesque ultro citroque meantum
Agmine. Pulcher amor laudis, cui praemia digna
Laetantur iungi, demulcet pectora quaevis
Francisco patriae patre. Sic saturnia lustra
Surgunt, atque novus saeclorum nascitur ordo.

Status orientis et aliarum provinciarum.

Purpureum interea crudelia praelia vastant
Ortum, quem Russus, rigido ceu flamine turgens
Invadit Boreas, ferrum atque incendia miscens,
Limitis ignarus, ridenteque sorte superbus:
Cornua quo tumidae frangat fulgentia lunae,
Inque peregrinis, Haemo trepidante, refigat
Barbara signa plagis, regnumque extendat avitum.
Et tu clara Paris, Francorum gloria, nondum
Sortis inaequali iactari turbine cessas.
Pax tibi et alma quies oneri est. Europa tumentes
Vix ausus frenat, patriis simul adligat oris:
Iam raperis, terrasque novas pelagusque profundum

Quaeris, et attonitos ferro tibi subiicis Afros.
Atque utinam tua cura foret victricia porro
Lilia per valles, per pingvia rura nivosi
Plantare Atlantis! non vos insania cives
In proprias caedes armaret; fasque piumque
Sanctaque relligio staret veneranda vetusto
Cultu; et sancitae staret reverentia legis
Et regis: non hic patriis nunc exul ab oris
Fortunae dubiasque vices casusque stuperet.
Non vos, incertis ludibria fluctibus, omnis
Horreret populus, curans vitare Charybdim,
In quam consilii monstris torquere soletis.
Itala terra gravi nuper concussa fragore
Occultas etiam nunc artes conscia damnat,
Artes, France, tuas, queis sub velamine iusti
Conficto miseros cives in tristia misces
Bella, sacrasque oras lugubri funere foedas.
At tibi quas gemebunda vibret Varschovia diras,
Gensque Lechûm? quando feralibus obruta flammis
Aspicit ereptos cives, carosque penates
In cinerem versos; misere spoliata minaci
Nomine serviles pedibus manibusque cruenta
Vincla gerens, Lunae quondam septemque Trionum
Magnanimus domitor: naturae dona benignae
Iure prius iactans opibus cultuque superba:
Nunc vix, quo ventrem possit placare latrantem
Possidet, incertum patrias peregrina per oras
Cursitat, et sortis mutatae vulnera plorat.
Haec vos, haec alios diversaque fata lacessunt.
Hunnia propitio tu gaudes sidere, divum
Munere dives opum variarum expersque sinistrae
Sortis pacatos transmittis quinque ter annos.
Ast ubi per terras constans fortuna salusque est?
Nubila succedunt atram minitantia noctem,
Qua rutili prius adfulsit lux aurea solis.
Purpurei veris crebro spes tollit opimas
Grando ruens, sitiensque aestas, aut copia nimborum
Imbribus exundans. Solvit persaepe micante
Nauta ratem coelo, post paulo concita ventis
Unda sali quam contumulat. Fortuna benignis

Luminibus mane hunc conspexit, vesper eundem
Vidit plorantem. Sors nos ita versat acerba!
Hunnia ferali late praecincta cupresso
Annon iure gemis variatae crimina sortis?
Squallentes patriae cives luctuque sepultos
Fulcraque prima videns prostrata; timore rigentes
Confundi musas, et quaerere lumina prima.
Scilicet hoc placuit superis. Ridente beata
Sorte nimis nefors fueris virtutis avitae
Immemor; et coelo, cui parent omnia, vecors
Debita iura neges exemplis tracta scelestis.

Initium cholerae.

Iassore, prima mali sedes, te numinis ira
Produxit vindex, tetrasque habitare paludes
Iussit pestifera gravidam infamemque mephiti.
Dedecus Eois rutilae. Iam tempore longo
Illic torva iacet pestis religata sopore:
Cum subito armorum strepitus clangorque tubarum
Vicinis resonans oris dispellere somnum.
Occipit. Illa caput tollens dum semisopitos
Demulcet manibus vultus, hiat ore profundo
Deque putri stomacho, magnum quo terreat orbem,
Oscitat immanis: vapor hinc, velut ardua nubes,
Evolat, et dubia velat caligine solem.
Obstupuere homines, et quid fugiantque, petantque
Ignari, trepidi iactantur speque metuque.
Ecce! autem ruit hic, ruit alter, cumque ruentes
Alter conspexit propius, nisi funera vidit.
Protinus exhorret, gelidusque sub ima penetrat
Ossa tremor: tacitus causam dum quaerere tentat,
Funus et ipse riget. Mox late didita fama est
Grassantis cholerae morbi: tamen ille volatu
Ipsam etiam famam superat. Calcutta furori
Prima patet, civesque suos miseranda reposcit.
Nec mora Bombayae sedes, et qua patet omnis
India, crudelis plorat vestigia morbi.
Bengala tota gemit, Ceylon quoque, cumque patente

Hindustan confecta malis et Persia dives.
Nil Tanais diffusa undis, nil Volga morantur,
Russia quin vestros glacie nivibusque rigentes
Saeva petat montes. Iam pernix splendida Mosquae
Tecta subit, passimque ferox praedatur egenos
Hic cives. Non Petropolis non cetera tanti
Pars manet imperii funesto erepta furori.
Transilit et Tyram propius te, Vistula, sensim
Accedens: creseitque feris pugnisque fameque,
Et misere Russosque quatit gentemque polonam.
Ecce! Dibics, terror Turcarum, tuque flagellum
Invisum Lechiae, trux Constantine, iacetis!
Quis reliquos numeret? etc.

IX.

S. Josephus CALASANCTIUS *scholarum piarum fundator, pius in Deum. 1832.*

Ardet amore Dei coelo defixus Ioseph;
Nec nisi sollicitus, superis quod displicet, odit.
Et quia plena Deo mens est, hinc sanctior ardor
Occupat os linguamque piam raramque loquelam.
Scilicet, ut primum vitales hauserat auras,
Certatim puerum sacrae cinxere sorores:
Mens devincta polis, sacrae reverentia legis,
Et pietas, summoque Deo cognata voluntas.
Aspiciunt, tenerumque sinu complectier ardent:
Mox, quo quaeque potest, elinguem donat alumnum
Munere: succedens quondam illi firmior aetas
Ut videat parvas ponentem saepius aras,
Sertaque texentem, queis cingat tempora divum;
Rite frequentantem supremi numinis aedes,
Et stratum ante aras; devotos pectoris aestus
Halantem ad superos seu matutinus adibit
Sol coelum, seu dum decedens vertet Olympum.

Dumque vicem quaevis nutricis poscit obire,
Prae reliquis devota Deo mens talibus orsa est:
Parve puer nostris quondam celeberrime castris,
Deliciae superum, certissima gloria terris.
Promtior Abrahmo, si te divina voluntas
Urgeat; et si fata ferant, servantior aequi
Iesseidis nato. Quin virtus sparsa per omnes
Quos prior extollit condignis laudibus aetas,
Quosve dabunt terris venientia tempora, sanctos
Te velut exemplar dote ornatura reviset.
Nunquam non precibus coelestia regna movebis.
Posces, ut recreent sitientes imbribus agros?
Protinus unda ruet. Soles orabis apricos?
Nec mora: diffugient praegnantes de aethere nimbi.
Necdum finierat: Sacrae reverentia legis
Alloquitur, puerumque manu, sua gaudia, mulcens:
O! mea lux, inquit, te defensore calescent
Pectora multorum, et proni mea iura subibunt.
Non quisquam superos, tua si vestigia calcet,
Laeserit, aut recti de tramite devius ibit.
Non, si alios feriant fortunae tela minacis,
Laetus eris: sed enim suppones brachia lapso,
Ut releves; dapibusque tuis recreabis egenos,
Atque tua incinges tunica; dubitantibus ultro
Consilium acre dabis; meritis sua praemia pones.
Praecipue miseram formabis rite iuventam:
Quae pietas superos deceat, quae norma salutis
Certa sit; et paribus succendens pectora flammis,
Quod dabis exemplum, duce te pia turba sequetur.
Vix haec illa refert: pietas, divumque voluntas
Amplexum refovent: teneri penetralia cordis
Protinus ardor adit, qui vix mortalibus unquam
Notus erat, crescitque simul crescentibus annis.
Iamque subit tacite florentem firmior aetas,
Fit sensim iuvenis; dubitabit forsan aliquis?
Nil iuvenile sapit: gravitas moderatur euntem,
Eloquio svavis, parcus sermone, modestus
Fronte; laboris amor non illum deserit unquam.
Non choreas saltusque leves, non ludicra curat,
Queis aetate pares retinentur: denique talem

Prisca Deo plenum dixissent tempora alumnum.
Saepe memor superum sua figit lumina coelo,
Atque imo ducit suspiria corde: putares
Pertaesum terras, et quaerere coelica regna.
Vos arae testes, vigilem quae poplite flexo
Vidistis tacitae per amica silentia lunae.
Audistis laeto resonantem saepius ore
Carmina, divinum spirantia carmina nomen.
Vos quoque coelesti demissa oracula sede
Foederis antiqui, seu queis nova vita redivit,
Nostis quo studio totas noctesque diesque
Volvere sit solitus, cordi hinc solatia quaerens.
Non sic nectareo recreatur rore, nec Hyblae
Ambrosiaeque minus capitur dulcedine, sacris
Quam paginis: harum ora madent imbuta liquore,
Harum verba movent animos, oculosque pedesque
Atque manus: amor inde latus, timor inde prementes
Solliciti divum sancita lege probari.
O vos, queis curae est coelestes quaerere sedes!
Huc properate gradus, huc figite lumina; virtus
Huius erit vobis speculo. Mox tollite gratas
Ad coelos palmas, homines qui munere tali,
Exemploque beant. Hinc rectae sumite normam
Vitae, qua superis caros, dum spiritus auras
Deserat has, fausti numeretis temporis annos.
Quin haec vos pietas stellatis sedibus aptos
Efficiet, rutilisque simul redimire coronis
Gestiet aeterni carpturos gaudia regni.

X.

Paraphrasis L. III. odes 6. Horatii.

In superos pietate nihil, Romane, tenebis
Maius, quae toto residet si pectore, felix,
Crede mihi, cunctae superabis tempora vitae.
At nisi labentes superum reparaveris aedes,
Ni veterem revoces aris signisque Deorum
Splendorem, tua fama ruet, patrataque poenis
Maiorum, licet immeritus, delicta piabis.
Nunc te, qua vastus terrarum se explicat orbis,
Agnoscit dominum: rutilans tibi militat Eos,
Obsequitur Nilus, venerantur iure Britanni:
Quippe minor superis humili fers poplite vota.
At quoties imae pietatis non memor almos
Neglexti divos, heu! quantas vindicis iras
Experta es merito coeli, quam tristia bella!
Auspiciis spretis pugnasti, Crasse, Monaeses
Et Pachori sed te fregerunt arma: superbo
Qui prius ardebas clarus fulgere triumpho,
Sacrilegaque rapis templorum insignia dextra,
Ecce! iaces tectus vili captivus arena:
Cuique sitim nunquam poterant restinguere nummi,
Ebullit liquidum patulis in faucibus aurum.
Romana hinc dives praeda modo torquibus amplis
Ornatur Parthus, cui parva monilia collo
Pendebant prius, et renitebat parva supellex.
Haec mala producunt praegnantia saecula culpis.
Coniugiique fides cessat, rectumque piumque;
Et genus atque domos linquit praestantia morum.
Quid? nisi tristes hinc clades, nisi bella cruenta
In patriam populumque fluunt, altaeque ruinae.
Ad molles teneris finguntur, matre iubente,
Motus ionios et crimina membra puellis;
Incestosque rudi iam nunc meditantur amores
Pectore, quos deinceps tuto exercere laborent.
A cunis cernunt perversa exempla parentum
In seros etiam quondam ventura nepotes.

Non his orta fuit patribus romana iuventus
Illa ferox, rigidum quae Pyrrhum vincere novit;
Hannibalem gentis romanae fulmen, et amplum
Viribus Antiochum nostris fera bella minantem
Straverat, Eoo excellens Afroque triumpho.
Sed gentis nostrae quondam generosa propago
Agrestis fuerat, duris exercita rebus.
Docta solum pigrum rigido versare ligone,
Ingentesque iugis tauros onerare recurvis.
Haec simul arbitrio matris subiecta severae
Concisos humeris referebat sedula fustes.
Praecipue dum sol lenes mutaverat umbras,
Et bobus fessis iuga demsit rusticus, almam
Solis ad occasum properans captare quietem.
Quo ruit, et praeceps quid non mutaverit aetas!
Deseruit virtus maiorum pulchra parentes
Iam nostros: at nos peiores patribus ipsis,
Quid? nisi corruptos dabimus magis usque nepotes.

XI.

Nihil est ab omni parte beatum. Horatius. 1833.

Carae spes patriae, solatia prima parentum,
Noster amor, musis placidis devota iuventus!
Passibus en! tacitis pueriles linquitis annos,
Vestraque venturae iam vitae pectora mordax
Cura subit sensim. Patriis decedere terris
Alter cogetur, peregrino sole calentes
Pressurus tractus, notis disiunctus ab oris:
Uda piis lacrimis nisi quo suspiria matrum,
Carorumque patrum ferventia vota sequentur.
Alter sollicito volvet sub pectore cuinam
Se generi addicat vitae, quam ducere vellet,
Si bona fata sinant, atrata nube carentem.
Quo vos cunque levis dubiis sors vexerit alis,
Sidera si niteant, velis Zephyrique faventes

Adspirent, moneo: vestro de pectore nunquam
Exciderit: nihil est omni de parte beatum.
Hic tumet, et primo incedit sublimis in ostro,
Elatus fronte, et curru vectatus eburno;
Et mensis fruitur lautis, censusque nepotum
Induitur; sed et hic suspirat: tempora vitae
More fluentis aquae decurrunt; vivere paucos
Posse datum est annos homini: iam lenta senectus
Obstrepit, et tumuli pallentia frigora terrent!
Educat hic dulces natos, et gaudia puro
Pectore saepe fovet, dum blaeso frangere voces
Ore audit; reduci soboles dum occurrere gaudet
Parva patri blando, et lusus narrare recentes.
Eheu! quam instabili versantur gaudia vultu!
Ille domus oculus, generis spes, gemma parentum
Occidit, et tristi mergit pia gaudia luctu.
Sunt, quibus ingentes rumpunt pene horrea messes:
Prata greges centum pascunt, conterminus illis
Collis purpurei propinat dona Lyaei.
At vero ignis edax vorat horrea, pascua foedat
Dira lues, Bacchi vel grando quassat honorem.
I nunc, atque horum dominum dic esse beatum!
Vos tamen haud vane dicemus forte beatos,
Qui colitis musas, et quos penetralia Phoebi
Excipiunt lauro insignes, sertoque perenni.
Vos celebrant patriae cives, fastisque notantur
Nomina vestra: boni laudabunt saepe nepotes.
Pulchra quidem laus est famam transcribere saeclis:
Aspice sed quisquis talem venatur honorem,
Ut ruit ante diem in tumulum! vix ossibus haeret:
Defluxit vultu color omnis; viscera tardo
Munere funguntur; languor per membra pererrat.
Rex et inops, Davusque miser, qui martia iactat
Tela ferox, et qui podalyria sacra frequentant,
Incertis nutant vicibus, casuque feruntur
Praecipiti: vere nihil omni ex parte beatum est!

XII.

Caius amat patriam. 1836.

Pallas ubi flammis adfusa est, protinus ignis
Latior adsurgit circum, vicinaque carpens
Corpora flammivomos provolvere nititur aestus:
Haud aliter magno patriae stimulatus amore
Noster adest Caius. Nec quamvis pectore et ore
Emicet illius fervor, studiumque levandi
Neglectam patriae sortem; se debita dicet
Iam promsisse satis pietatis pignora: namque
Si fas sit, cupiat patriae quoque singula saxa,
Pectore quem refovet, sacrum sentire calorem.
Inde, velut rapidus montano flumine torrens,
Imbre gravi, aut nivibus tepidos metuentibus Austros
Saevior, ingenti praeceps cum murmure fertur;
Saxa, domos, stirpesque trahit, lateque per arva
Perrumpens quosvis obices, equitando triumphat:
Ille suae pariter patriae devotus in eius
Obsequium properat, quaevis obstacula vincens.
Non illum caedes, non sanguinis horror et aestus
Pugnantum prohibet: quin duri martis in armis
Adfuerit, dubiaeque petat discrimina vitae.
Consul erit, quoties patriae sententia patrum
Deposcet, dotes animi, fructusque laborum,
Quos musae tribuere bonae, conferre paratus.
Quin et opes, quas sollicite corradit avarus,
In commune decus profundere fortis: eandem,
Quae patriae faveat, sortem putat esse beatam.
Hunyadi sic quondam decus et celeberrimus heros
Et patriae columen vixit: seu marte secundo
Fregerat odrysias acies, terrorque vocari
Turcarum meruit lauris titulisque decorus;
Sive graves iras indignandasque repressit
Insidias animo magno et virtute stupenda.
Nec, licet invidiae iaculis, linguisque trisulcis
Vulgus forte petat, tenebrasque offundere famae

Et meritis studeat, coeptis desistit; amore
Plus patriae captus, dubiae quam murmure famae.
Attica sit Codro celebris, sit Coclite Roma,
Haec Fabios memoret, Leonidas illa: triumphum
Non illis Caius noster nisi tempore cedet.
Quin quantum Tullii hic, valuitque Demosthenis illic
Mens, et lingua potens patriae succurrere causis,
Eloquioque graves Romae sedare procellas:
Eminet et Caii tantum facundia florens,
Sicque regit dictis animos, et pectora mulcet.
Cernis? ut insurgat velis audacibus omnes,
Qui terrent fluctus mox debellare disertae
Navigio linguae; patriam si forte carinam
Propitia tumeant cynosura, luceque coeli
Fraudare, et caecis timidam obiectare periclis?
Scylla licet latret, vomat et sua monstra Charybdis,
Confligat Boreas Austris, et turbine vexet,
Altior assurget, seque et sua pectora fortis
Offeret, et sacro quidvis superabit amore.
Nec mirum: prima necdum lanugine malae
Horruerant illi, cum tali laetus alumno
Mavors ipse sui donarat ahenea Caio
Pectora saepe vices subituro: qualibet inde,
Qua patriae poscebat amor, qua sortis iniquae
Frangendae urgebat stimulus, per tela, per hostes,
Perque oras vadit peregrino sole calentes.
Instruxit Phoebus cythara, Cyllenius alis,
Unde lucrum patriae sollers, decora altaque curet,
Provehat et doctas artes, laurosque perennes
Ipse sibi et patriae natis meruisse laboret.
Aemula vicinis ut surgant pectora latis
Pannonidum in terris, facto contendit et ore.
Hungara testis ades tellus, campique patentes
Et fluvii patriae tractus atque arva rigantes.
Dicite (vos etenim vidistis) dicite Caius
Quo studio curet laudem vestrumque decorem?
Hinc vastos pratis, ingentia corpora, tauros
Errantes, illinc mentitas serica lanas
Cernitis et pingves pecudes; per flumina puppes,
Quas vapor acceleret, volitantes; et pede ventis

Aligero praecurrere equos. Quis laudibus istis
Quis meritis maior Caio, quis dignior exstat?
Scilicet hoc toto spirat de pectore; linguam
Causa movet patriae, vultus oculique loquuntur,
Quantus amor caleat fibris animoque potente.
Cingitur hic hominum turba, lectave corona?
Mirantes videas quosvis, plaususque sonantes.
Sit solus? doctos cupiens penetrare recessus,
Anglia quos misit, celebris quos Gallia libros,
Aut quos culta dedit Germania, nocte volutat
Iam sera atque die, nunc stans, nunc sede locatus;
Et totus patriae rebus patris instar inhaeret
Solliciti. Talem quis non miretur, ametque?
Audit quippe illam matrem quasi saepe loquentem:
Fili, dulce decus, cordis quoque pignus amatum,
O mihi iam teneros multum devincte per annos!
Tu facis, ut me iam terris maribusque remoti
Suspiciant populi, meritis et laudibus ornent.
Tu facis, ut cupiant non pauci visere, spesque
Concipiant altas, quondam memorentque beatam
Me fore, et aeternam promittant nominis umbram.
Tempus erit pariter, spero, quo grata vocabor;
Dum te per titulos late, per et aequora laudum
Sublimem cura nostra mirabitur aetas
Postera, virtutisque tuae monumenta reposcet.

XIII.

Aemulatio acuit industriam.

Tunc bene fortis equus reserato carcere currit,
Cum, quos praetereat, quosque sequatur, habet.
Ovidius.

Nobilis in venis cui fervet sanguis, et almus
De meliore luto finxit praecordia Titan.
Cui canae resident calido sub pectore curae
Nominis aeterni quondam decora alta parandi

Seu castris, Bellona, tuis, seu Palladis ampla
Inter perpetuis lauris ornata vireta.
Aut iustas Themidis lances librando: decoris
Virtute et meritis statuendo praemia; poenas,
Ut meruere, reis dictando, publica regnis
Sic quondam et populis facturo commoda, virtus,
Fac, late regnet iuvenilibus aemula fibris.
Haec genuit celebres olim tibi, Roma, triumphos.
Haec Cincinnatos, Scipiones, atque Metellos.
Pompeios, Marios celeberrima nomina quondam.
Haec eadem accendit tua, Tulli, pectora lumen
Verbosique fori decus. Et vos Flacce, Maroque,
Deliciae Phoebi et pulcherrima gloria Pindi,
Haec ussit facibus sacris. Hinc rite calentes
Protinus ut virtus haec vos sibi vindicat, omne,
Quod vulgus trepidat, magnorum dura laborum
Vincere constanti nisu decernitis. Inde
Solibus assiduis vigiles adiungere lunas;
Martis adire vices dubias; supponere lapsis
Brachia; consiliis, animis, telisque cruentis
Adflictam patriae sortem relevare parati.
Haec eadem virtus veteres animare Pelasgos
Promta, manu nivea praecinxit tempora lauro
Illorum, et palmas cunctis praetendere iussit
Regnis et populis; quo possint Palladis omnes
Excoluisse artes vestigia graeca premendo.
Thermopylas pariter, pariter Marathona perennes
Reddidit haec virtus: et tu Salamina triumpho
Clara Themistoclis per saecula cuncta vigebis.

Exemplum Themistoclis.

Vixerat invisus patri hic, quia vixerat exlex,
Et iuvenum vitiis plus quam satis ebrius annos
Iam prope bis denos: nec, quo sua flectere posthac
Vela queat, certus. Necquidquam tecta paterna
Supplex accedat, patriis nam censibus ipsum
Exuerat genitor. Nec, quamvis quaerat, habebit
Patronos, quem dedecorant delicta iuventae.

Miltiadis videt interea fora templaque plena
Laudibus, et pulchrum late fulgere tropaeum,
Marte quod emeruit dura Marathonis arena.
Ipse ne, dicebat, cunctis despectus et exspes,
Qui superant, annos traducam? turpiter ipse
Et Baccho et Veneri vivam devotus, amaram
Victurus quondam (victurus forte!) senectam?
Non ita: stant validae firmo mihi corpore vires,
Brachia ferre valent clypeum, nec dextra fatiscit,
Quantumvis onerem telis hastisque sonoris.
Est etiam mens apta bonis et fertile pectus
Consiliis. Procul ite ioci! procul ite iuventae,
Qui turpi dudum tenuistis compede, lusus!
Dixerat: et sursum properat, properatque deorsum,
Natus ubi fuerat per magnam Cecropis urbem.
Tempus erat, quo grata quies hominesque canesque
Et volucres mulcet, relevans curasque diurnas,
Et, queis longa dies exercet membra, labores.
Ipse torum pariter petit, invitatque soporem.
Lumina clausa premit, disponit molliter artus.
Necquidquam. Fugiunt optati lumina somni,
Et fugit alma quies. Quamvis nox caeca tenebris
Involvit coelum, rebus demsitque colores:
Illius ante oculos tamen est sublime tropaeum
Miltiadis, positi monumentum grande laboris.
Eripit inde toro sese, et festinat anhelus;
Pertigit utque forum, medioque foro videt altam
Miltiadis statuam. Proh! tempora vivere, dixit,
Martia, queis virtus tanto decoratur honore,
Et tamen ignavam tot lustris ducere vitam!
Poenitet heu! melius divi! per sidera iuro,
Perque tuum, vir magne, decus statuamque perennem.
Ille Themistocles, patris crux, dedecus hucdum
Ille sui generis, summis heroibus isthinc
Par cupit esse; nec est quod fervida vota moretur.
Noctes atque dies mecum vigilate severae
Curae, perque vias comites mihi quasque venite.
Digreditur: sed enim, quod voverat, haeret in imis
Ossibus, et late per singula membra triumphat.
Quem nuper socium nequam duxere sodales,

Ille deest numero. Solitas lustrare tabernas
Tectaque cara prius, choreas, lustrare theatra
Est labor illorum: sed frustra quaeritis, istis
Mutatum in tenebris non est deprendere; luce,
Illius menti quae orta est, iam recta videbit.
Ecce! velut magno firmatus Socrate vulgo
Sese subduxit, patriae famaeque laborans
Vivere. Nunc legum sacraria condita pandit,
Nunc mores patrios librat, penitusque saluti
Communi intentus, nunquam, nisi magna volutat.
Hic gravibus Martis versatur in artibus: illic
Areopagus habet sublimia verba loquentem
Demirans, Phoebique catum distinguere dicta.

Expeditio Persarum contra Graecos.

Parce tuos Xerxes demens animare furores,
Persidis et fines opibus numeroque tuorum
Immenso spoliare. Gemes Salamina, tuique
Nominis et famae iacturam. Si sapis alta
Corrige vota, cavens infesto laedere Graios
Immeritos bello: si nescis, Argus adest hic
Multa Neoclidis virtus tibi iure timenda.
Nil ago. Millenis oneratur navibus ingens
Oceanus, turmaeque graves tellure moventur.
Terra gemit, qua se flectunt, trepidatque: patente
Qua properant, pelago metus it terrorque pelasgas
Nuncius ad sedes. Denso velut agmine nubes
Cum solem eripiunt coelo, sequiturque procella
Feta Notis Caurisque feris et fulmine et igni.
Aut quasi surgentes, orientis plaga, locustae
Nubila caeca trahunt secum, macieque recentes
Perniciem meditantur agrisque speique coloni.
Quid vobis animi Sparte, ditesque Mycenae,
Atque potens Argos? quid Athenis, Palladis arci?
En! oriens totas in vos effundere vires
Nititur, et pedibus fervens manibusque cruenta
Vincla parat: nec si Dario fata fuere
Laeva semel, pariter Xerxi contraria fient.

Cedite, dum moneo, quaque est via tuta salutis,
Per mare per terras properate. Monentis et ista
Pondere non caruere suo bona verba: laborant
Et se resque suas securo condere tecto.
Accipiter veluti cum latis remigat alis
Sublimis, celeresque facit per caerula gyros,
Omnis turba minor volucrum conterrita currit
Atque volat rapidum praevertere provida letum.
Pectora cuncta timor percellit: non timet ast hic
Ipse Neoclides, animat, memoratque favores
Fortunae quondam pronos, spesque erigit amplas.
Non numerus, dixit, sed virtus graia fugavit
Nuper Darium, nisus retuditque superbos.
Non numero pariter, verum virtute dehiscet
Nostra prostratus Xerxis tumor. Eia monenti
Credite, vel potius suadenti credite Phoebo.
Lignea, quae iussit, sint moenia nostra, triremes,
Quantumvis paucae, celeres tamen et satis aptae
Ingentes Xerxis cursu praevertere naves,
Inque vada et syrtes habiles impellere. Credunt,
Expediuntque rates fabricatas rite saluti.
Irruit interea Xerxes, velut imber et ingens
Tempestas: necat hos, necat illos. Senserat Asty
Victoris rabiem. Sed enim sors prima vacillat:
Et modo qui dextram laudavit, flere sinistram
Cogitur, et primos discit damnare favores.
Non pugnas memorare iuvat. Salamina triumpho
Nobilitata novo cunctis celebrabere saeclis.
Persia fracta ruit: libertas graeca revecta est,
Cumque illa soliti rursum rediere triumphi
Et decus et nomen. Valuit tantum aemula virtus
Illa Themistoclis! modo quid non illa valebit?

XIV.

Paraphrasis L. II. Odes 10. Horatii.

Forte rogas, Licini, qui recte vivere possis?
Eia meis docilem monitis advertito mentem.
Vita mare est, quo nos velis remisque volamus
Assiduo, ardentes securum tangere portum.
Ast heu! quot scopulis scatet isthic cursus acutis,
Quot monstris ventisque feris et turbine saevo!
Tu si salvus aves percurrere caerula ponti,
Fac medium teneas. Nec in altum turgida vela
Urgebis, temnens syrtes, Caurosque minaces;
Nec, si cautus eas rapidas vitando procellas,
Plus iusto timidus, quaeres nisi litus iniquum.
Qui curat rebus prudens mediocribus uti,
Fortunae lusus vultu spectare sereno
Fortis erit: dubiis non unquam mobilis auris.
Non illum, si fata premant, onerare querelis
Et coelum et terras audis; non squallida tecta,
Non mensam cernis; non vestes sordibus atras:
Ut digito monstrans, en hic novus Euclio! dicas.
Sed nec vicinas molitur nubibus aedes
Gemmis atque ostro gravis et sublimis eburno
Curru oculos quosvis feriens, animisque feroces
Invidiae stimulos studio intorquere laborans.
Scilicet ingentes agitantur saepius orni
Ventorum rabie: at corylis licet esse quietis.
Et celsae turres casu graviore feruntur
Praecipites, summosque petunt vaga fulmina montes.
Alta petit Phaeton, nec viribus aequa, paterni
Ut puer indomitas currus regat acer habenas:
At miser Eridani lapsus tumulatur in undis.
Tu quoque, patris amor, facili gavise volatu
Icare, si patrem malles audire monentem,
Vitasses, ne flammivomi frons proxima solis
Obsit, et haec revocans „medio tutissimus ibis“
Verba patris, non cessisses tua nomina ponto.

Quisquis erit solidae munitus robore mentis
Virtutis cultor, famae studiosus honestae,
Hunc non deiicient fortunae tela sinistrae,
Non placidi extollent Zephyri stellaeque faventes.
Ingruat hinc Boreas glacialibus horridus alis;
Inde furens Auster turgentes evomat iras,
Nil tamen hic trepidat. Sperat meliora sinistris
Vexatus fatis; metuit contraria sortem
Dum sentit placidam: memor, haec Iovis omnia nutu
Disponi aeterno, qui cum volet, hispida nimbis
Ac nivibus mox bruma riget; mox luce serena
Cincta revertuntur genialis tempora veris.
Et memor humanae variari stamina vitae.
Cui male vertit res hodie, cras forsitan ille
Laudabit merito placatae munera sortis.
Quis nescit? musas etiam quandoque silere,
Nec pariter laetis aures animosque tenere
Cantibus. At cytharam Phoebus rapit ipse sonantem,
Et pharetra et telis positis, digitisque pererrans
Argutis ferit, et languentes suscitat ignes.
Fortis eris, si ferre queas animosus acuta
Sortis; non fletu et lacrimis muliebribus udus.
Et prudens fortisque simul, si flamine vela
Turgida conspiciens molli, tua lintea cautus
Contrahis, et syrtes vada caeca et saxa laborans
Vitare, adsuescis mediocri vivere sorte.

XV.

Sperne voluptates: nocet emta dolore voluptas.

Horatius.

Quo ruitis iuvenes? quo vos malesana libido
Allicit, et niveos urget deponere mores?
Huccine spes patriae, solatia certa parentum,
Huc recident sumtus? ut, quando pene tenetis
Iam metam, effrenis caecos per devia raptet
Vos nomenque bonum properans tumulare voluptas?

O! si cui vestrum penitus non excidit omnis
In superos pietas; si cordi est vivere; caros
Si colitis, qui vos vegetos genuere, parentes;
Consiliique boni siqua est reverentia: nostris
Huc, agite, arrectam monitis advertite mentem!
Fervida, confiteor, vestra est, quam ducitis, aetas,
Corruptumque genus mortale in pessima pravo
Pertrahit exemplo: sed enim victoria nulla est,
Ni fuerint hostes; quoque est generosior ille,
Cui certes, erit hoc maior superare triumphus.
Cum silet unda maris, fluctuumque procella quiescit,
Quis labor est remos validis impellere palmis?
Quis rexisse leves cymbas, clavumque tenere?
Dum fremit ira sali, fluctusque ad sidera sese
Attollunt Africo impulsi, Cauroque Notoque,
Eripiuntque diem nubes: retinere colorem
Vultus, et scopulos et monstra videre tremenda,
Non trepidare tamen, Tiphyn te iure probabit.
Alta habitat virtus, quo non ignavia, torpor,
Otia non penetrant resupina: at pugna laborque
Occurrunt per iter salebrosum, multaque circum
Flumina sudorum tumidas quassantia ripas.
Huc iuvat eniti? primus labor esto fugare
Illecebras vitae iuvenilis: mollia verba,
Atque libros blandis imbutos saepe venenis,
Et socios pravos et vina iocosque solutos,
Atque oculi laqueos, et mille pericla salutis.
Nec satis haec vitasse putes; fac, seria mentem
Assiduo teneant: nunc doctas Palladis artes
Exerce musis adolens pia thura frequenter;
Linguarum studiis nunc toto pectore inhaerens.
Zeuxidis interdum celebres sumsisse tabellas
Iuverit, et vivos in chartas ponere vultus,
Florumque effigies, aut rerum mille figuras.
Si studium lasset constans, plectrum rape gnari
Artificis, cui se liquidae si gratia vocis
Admiscet, fesso requiescunt pectore curae.
Profuerit pariter tales legisse sodales,
Quos tua delectent solatia: sive placebit
Exercendo pilam per apertos currere campos,

Seu patulae quercus viridi recubare sub umbra,
Ter felix, tibi si veniat de fontibus istis
Ipsis non damnata polis sincera voluptas!
Scilicet hinc crescet reverentia debita coelo,
Inque senes pietas, regi patriaeque fidelis
Affectus; crescent industria, cura, laborque,
Artes quae generant, et libera crimine vita.
Despicis haec, monitisque meis parere recusas?
Heu! quis te exspectat cumulus, quae turba malorum!
Obvia lascivo venient mox otia vultu.
Teque manu prensum per mollia castra sequentem
Ducent, et levibus cingent salibusque iocisque.
Hic lepidos non ulla ligat moderatio risus,
Non fas atque pium curae est, non lexque decensque.
Frena relaxantur sermonibus, inde petulcos
Est audire sonos; Veneri Bacchoque litatur.
Iam prope felicem falso te forte putares,
Cum fortuna favens retro sublapsa feretur.
Excipient risum gemitus, lamenta lepores,
Nominis et famae grandis iactura sequetur
Undique, et effeti languebunt corporis artus.
Vere novo veluti Phoebi laetata calore
Exilit, et tenera resplendet planta iuventa,
Blanda vocat Zephyros molles, gaudetque protervis
Lusibus: at subito noctis lunaeque serenae
Proxima florenti defraudat honore pruina.
Nec satis: ante diem succedet torva senectus,
Molle catharrali latrans uligine pectus
Accersetque phthisim, curamque Machaonis omnem
Eludet, fugietque cibi potusque palatum
Gratia, et officio fungi contracta negabunt
Viscera, pallenti deducet corpore vitam,
Quae sequitur macies atro vicina feretro.
Heu quoties melius cupies traducere lapsos,
Praesentis seges unde mali succreverat, annos!
Hac cecinisse tenus satis est. Per singula musae
Ire vetant; repetunt tantum revocantque frequenter:
Sperne voluptatem: tectum sub melle venenum
Illa dat, oblatisque tegit sua vincula donis.
Dulce malum est, hilaris morbus, dementia svavis,

Imperium vecors, carnisque dolosa tyrannis,
Morborum genitrix, fecundaque Lerna malorum,
Vernantisque aetatis hiems, latroque salutis.

XVI.

Paraphrasis L. III. Odes 2. Horatii.

Qui cupit, ut iuveni validae stent corpore vires,
Dum tener est duros discat tolerare labores,
Pauperiemque ferat miseraeque incommoda vitae.
Excitet ignea mens illum, sit promta voluntas
Digna viro patriam tutandi et milite digna.
Fortis equo insideat, gladios hastamque tremendam
Immanis gestet, tumidas qua parturit iras
Parthus et ingentes linquat post praelia caedes.
Non hiemes rigidae non inclementia coeli
Non vigiles noctes, non seu penuria potus
Sive cibi frangant, non moles vasta laborum.
Aetas dum tenera est duris exercita rebus
Fortis erit bello; sic torvos finibus hostes
Depellet, latias aquilas sic solis ab ortu
Solis ad occasum comitabitur usque volantes.
O talem quoties altis de montibus arcis
Aut matrona videns, aut iam matura Dionae
Virgo gemet, laniansque comas pia pectora tundet.
Et fusis lacrimis tristes miscendo querelas
Clamabit, nomenque viri sponsique vocabit:
Heu mihi! suspirans: hic miles qualis ab illo est,
Cui mandata dedi, ne nostri non memor acres
Irruat in pugnas; nec primus in agmine toto
Emicet, ipse rudis tam fortes Martis alumnos
Sternere, quos duro rapidorum more leonum
Per medias clades caecus rapit impetus irae.
Cara pro patria vitam cum sanguine semper
Fundere dulce fuit. Quid enim vitare labores
Sollicitus mortem? si non vis ulla, nec ullus

Conatus fixam valeat avertere legem.
Necquidquam timido fugies pede, tergora frustra
Convertes morti: non te decreta relinquet.
Demetit haec iuvenes, senibus certissima falcem
Intentat. Mortis lex ferrea cuncta subegit.
Cui virtus cordi est, placido quem conspicit illa
Lumine, conspicuum meritis comitantur honores.
Ille suae cives patriae, ceu frater amatus
Diligit, alterno recreati pectus amore.
Et favet et placidis cives complectitur ulnis,
Utque potest, curat studiosus iura, decusque;
Queis patriae nomen rutilet, fortunaque crescat.
At cives rarae virtutis fulgure capti
Mirantur, plausus geminant, dum talibus almus
Templa recludit honor meritorum luce coruscis.
Non vulgi instabilis favor illos ludit ad alta
Nunc tollens, humili nunc mergens pulvere pressos.
Alta petit virtus, quo non mortalibus alis
Scandere fas fuerit, spernens fallacia vota
Spesque hominum tumidas, et opes, et splendida regum
Atria cum studiis vanis, fluxoque favore.
Dumque alii titulis nummorum mole coemtis,
Aut primis fulgent in sedibus arte paratis
Non aequa, gemmisque graves auroque nitentes:
Sola micat virtus proprio fulgore beata,
Sublimisque volans rutilis caput inserit astris.
Fallere, quisquis is es, sine relligionis amore
Qui te felicem reputas; qui sacra profanis
Misces, cui superum non est reverentia curae.
Dogmata qui rides, Cereris qui prodere sacrum
Audes arcanum. Procul ah! procul esto sceleste!
Nulla mihi tecum fuerit communio, nullus
Nexus: non iisdem tecum penetralibus esse,
Non fragilem tecum cupiam solvisse phaselum.
Scilicet innocuos urget persaepe, nocentum
Causa, Iovisque manus, dum tela furentia vibrat,
Non minus ac iusto merito est metuenda scelesto.
Nec latuisse potes, nec magnos fallere divos;
Omnia quippe vident, et cunctis actibus adsunt.
Tarda quidem, sed certa fremit coelestibus ira.

XVII.

Honora patrem tuum et matrem tuam.

Haec mea, percari genitores, tecta subite!
Vos amor huc nostri, pietas huc nostra volentes
Deducat, placidosque quies comitetur, et omnem,
Quae superat, mecum componat ducere vitam.
Vos me, (nam memini) tenerum fovistis alumnum,
Rexistisque meae lubricos lanuginis annos.
Vestra procul nostro sollertia corpore frigus
Exclusit, vitamque dedit nec sortis egenam
Nec laudis patriae; prohibens, ne dura fatiget
Pauperies, doctosque neget producere cursus.
Interea semper sese mihi patria virtus
Insuper occurrens venerandam praebuit: unde
Exacta officii ratio, pietasque fidesque.
In patriam, in socios cives, studiumque salutis
Communis mihi cura forent! praeque omnibus alma
Relligio, dominique timor, cultusque sacrorum.
O! quoties, dilecte pater, tua dicta revolvens
Incaleo, stimulisque novis velut actus in omne
Virtutum genus et rectum compellor et aequum.
Namque tuo videor gremio residere, monentis
Nunc etiam voces audire et talia dicta:
Fili, noster amor, teneris bene discitur annis,
Quod reliquis iam nosse iuvat; tenerum quoque ramum
Flectimus, et limum formas tenuamus in omnes,
Fictrici, dum, mollis adhuc, manuique rotaeque
Obsequitur. Puris in pectoris aedibus inque
Arrectis mentis tabulis, maculaeque serenis
Pronius inseritur doctrinae sacra supellex.
Scilicet et tellus lolio lappaque minaci
Libera, speratas nisi mittit in horrea messes.
Nunc nunc prima tuae, fili, sit cura salutis
Officio prognata pio; reverentia summi
Numinis hanc foveat, cultuque decente subactam
Adiiciat sociam vitae, comitemque fidelem.

Inde tuis studiis virtus succrescet amica,
Quae tristes animi nubes sortisque sinistrae
Tela potens armis elidet fortibus: inde
Blanda quies cunctos afflabit numine sacro
Annos obsequio civîum patriaeque dicandos:
Nominis inde tui splendor famaeque perenne
Adsurget decus, et venturos usque nepotes
Didita perpetuam texet tibi gloria laurum.
Proxima, quos numeres, sociorum cura tenebit:
Paucos atque bonos, moneo, tibi, nate, legendos.
Aurea sint praecepta patris, sint aurea gnavi
Mentoris atque avidis quamvis sint auribus hausta,
Debita iis deerit radix, fructusque cupiti
Destituent reliquam vitam; perversa maligno
Si te turba liget vinclo, sociumque salutet.
Fluctibus in mediis quis sese merserit, aut quis
Flammis adstiterit rapidis, quin humidus illinc,
Hinc abeat calidus? Quem tractas nonne colorem,
Adspersum cernis? pice vel fuligine squalles,
Utcunque hanc illamve petas. Sic morbida tabi
Inficit illuvie pecus et corrumpit ovile.
Nec minus uva solet livorem ducere ab uva.
Et tibi, ni caveas, perversi denique mores
Pravis cum sociis comites iungentur. Iisdem
Queis convictores, non vivere legibus ipsum
Forte pudet prius: at mox curae est gratia, siquam
Aut meruisse putas socios, aut quaeris ab illis.
Iamque levis, mendax, verbisque solutus et actis;
Langvidus officii custos, osorque piorum,
Et quicunque tuae studiosus forte salutis
Recta monet, vitiique studet deflectere calle.
A tenero pariter consvescito flore iuventae
Ire viam, qua iustitiae, qua numina cernis
Officii sacra praecedere luce corusca.
In superos pietas sic princeps cura futura
Est tibi: mox proprius cultus, non corporis ille
Quem nimium merito vel femina rideat; ast quo
Mentis opes, hominis vera ornamenta, parantur.
Utque tui fueris studiosus; sic tibi curae
Sint alii pariter, queis te sors iunxerit. Illis

Si praesis, multa, moneo, virtute praeito:
Si vero suberis, semper parere memento
Praesidibus: nectesque pares tibi semper amore,
Praecipue quo fata loco te cunque locarint,
Officii memor esto tui: te iudice iusta
Causa triumphabit: culpam sua poena sequetur.
Tecta laresque procul fugient te milite cuncti
Hostes, quos valido lassabis robore; certus
Vincere, pro patria vel certae occumbere morti.
Nomen amicitiae semper tibi dulce futurum est
Et sanctum: rectique tenax curabis et aequi
Vivere. Non precibus tua sit venalis et auri
Non pretio virtus. Potius succumbere ferro
Quamlibet indigno, quam sis peccare paratus.
Talia, care pater, tacita dum mente revolvo
Saepius, et dulcis matris simul ora recurrunt
Ac vultus placido tua nutu verba probantes.
Quin pariter subeunt carae monita aurea matris:
Flecte genu, fili, monuit, dum numen adoras.
Pulvis et usque minus sumus; illi tanta refulget
Maiestas: audin? coeli hanc terraeque loquuntur.
Hanc resonat pontus, Boreasque Notusque resultant.
Ille regit vitas, et miro cardine versat
Tempora, perque vices ver autumnumque reducit.
Ille ciet nubes, rutilis micat ignibus ille,
Terrificaque manu in terras sua fulmina torquet.
Mox carum venerare patrem: praecepta beatae,
Quae dederat, vitae memori sub pectore condens.
Non minor in matrem pietas tua, nate, supersit.
Ipsa ego te fovi tenerum, promtoque palatum
Lacte rigans siccum recreavi munere vitae.
Ipsa tuas vigili mulcebam carmine cunas,
Et timidos rexi gressus, balbamque loquentis
Fingebam linguam; et languentis saepius artus
Complexa, haec: mea lux, dixi, mea gaudia, nate,
Esto, precor, salvus; fugiant te corporis omnes
Morbi, sitque vigor mentis par: sic tua quondam
Aspersam canis relevabit dextra senectam;
Si mea Clotho prius non rumpat stamina vitae.
Haec inter lacrimis turgentia lumina vidi,

Et memini libasse genis ferventia nostris
Oscula, mista piis votis. Sic illa nitorem
Sedula vestitus nostri, sic corporis omnis
Adcurans vixit nati devota saluti.
Huc pietas, huc dulcis amor! praecordia nostra
Urite suppositis (nam poscimus) urite flammis!
Quis labor exaequet? superet quae cura parentum
Tot vigiles curas, queis adstant mollibus annis?
Queisve regunt vitreos mores; properantque futuris
Civibus et census augere, et tela sinistrae
Insidiosa homini passim, depellere sortis.
Tu mihi, care pater, Chiron; Cornelia certe
Mater eras: Vestram posthac refovere senectam
Cura mihi princeps fuerit: si dura ferat sors
Non humeris subiise negem, ceu troicus heros;
Romanaeque vices matronae rite tenere.
Quo licet usque bonis insistere denique semper
Exemplis, placidosque dies, curisque solutos
Nostris sub tectis vobiscum ducere fixum est.

XVIII.

Lingua latina queritur se in dies magis negligi.

Nuda caput, discincta humeros, confecta dolore,
Luminibus coelo fixis, pia pectora tundo;
Quasque dolor gignit lacrimas, quas ore querelas
Elicit, aegra nimis, noctesque diesque profundo.
Ecquis me miseram tandem solabitur? ecquis
Adiiciet iusto fomenta benigna dolori?
Unde reos olim recreabit gratia? si me
Egregie meritam contemtus vexat, et horror.
Quid populis late nocui? quo crimine laesi?
Aut quid erat, potuit quo lausque, decusque parari,
Quod mihi non curae fuerit? mortalia passim
Pectora caligo tenebris involvit opacis;
Iura, salus populos per magnum protinus orbem

Destituunt, leges migrant, rectumque piumque:
Succedunt scelus, et fraus, et violentia Martis.
Oppida culta ferox Vulcanus devorat, ingens
Incumbit regnis strages, tetricusque per omnem
Grassatur furor Europam; nec templa, nec aras
Ulla potis fuerit reverentia rite tueri;
Sors miseranda malis et Croesos haurit, et Iros!
Haec facies rerum mortales vexat, et unde
Auxilium miseris veniat, quo numine fulti
Extremum valeant casum praevertere, quaerunt.
Barbaries, oculos quo vertant cunque, subibat
Horrida: non quisquam doctis redolentia musis
Serta parat, iustos Phoebi non ullus honores
Curat, et obscuri dissolvit nubila saecli.
Cum subito ausoniis assurgens finibus, amplus
Undique, nec solitus se fulgor vibrat, ab imis
Terrarum satus, et caput inter sidera miscens.
Attoniti spectant populi, praesagaque multos
Mens subit, et laeti narrant ventura: „Futuri
Temporis, aiebant, melior fortuna cubili
Solis ab hesperio veniet, romanaque late
Multa per Europam lux se diffundet: honores
Hac pulchri duce succedent, artesque iacentes,
Cui furor involvit, posito squallore, resurgent.“
Verba fides probat. Ardentes in sedula migrant
Pulpita romani iuvenes, primique laboris
Successu laeti perstant, pulchroque morantes
Exemplo accendunt, atque aemula pectora ducunt.
Nec satis ausoniam fuit his excire iuventam
Fama volat Tiberim superans, Athesimque, Padumque,
Lapsaque trans Alpes, Riphaeorumque cacumen,
Atque fretum medio quod dividit amne Britannos;
Et quaqua versum nisus, latiosque labores
Personat, atque faces animis melioribus addit.
Protinus ingenti tumuerunt pectora motu,
Moxque pares primis contendunt ire per omnes
Musarum campos atque ardua culmina Pindi
Egregii iuvenes, saeclorum fama suorum:
Cum Tiberi certat Ligeris, Tamesisque rapaci
Cum Rheno, doctasque movent persaepe procellas.

Hic Bembos videas, Sadolettos atque Muretos,
Manutiosque graves, Stradas, Baccoque Rogeros:
Exstant hic aliis Albertus, Erasmus, Aquinas,
Inclyta nunc etiam quos gloria vectat; et amplus
Undique clara virum numerus vestigia calcant.
Petrarcham viden? ingentem, celebremque Masenum,
Acres Scaligeros, argutos ore Minellîos,
Sidronios faciles, audaces carmine Flacci
Baldaeos, cultos Sarbievos, atque Konarszkios;
Hos tenet ore gravi Paulinus, at inde Politi
Invitat numerus multos, et copia fandi.
Iamque super non est latiae non pervia linguae
Arsque, domusque potens opibus, devotaque Musis.
Haec summis dilecta foris, haec legibus apta,
Occupat haec doctas per singula regna cathedras.
Huic se thuricremis sociant altaria flammis.
Fama procul nomenque fugit, laudumque genitrix
Gloria, neglexit quem linguae cura latinae.
Hoc nostri quondam pretium, haec solatia nobis!
Heu sortem variam, fallacia gaudia, fluxas
Incertasque vices hominum! sic denique tellus
Nil fixum, constansque tulit: mutantur in horas
Terrigenae; non vota illis, non pectora constant!
Mobilis assiduo telluris ut esse revulsam
Necquidquam se se partem neget; usque cohaeret
Par natura, paresque vices, incertaque fata.
Quod magnos ornabat avos, iam displicet aurum,
Nec patrii natus capitur fulgore smaragdi,
Imbellesque manus, et brachia lenta nepotis
Et piget, et nequeunt attollere tela parentis:
Nec variare satis vestes: par moribus instat
Error, et instabilis miseros sic ludit imago.
Scilicet excutior solio, veterisque decoris
Consternata notas necquidquam lustro: recedis
Gallia fida diu; secum trahit ordine longo
Regna mihi devincta prius; quodque acrius urit,
Cara etiam genitrix aliqua vix tangitur aegrae
Cura, nec iustas velit exaudire querelas.
Hoc merui illustrans animos, pulsisque tenebris
Accersens iterum musas, lucemque reducens.

Donec blatta opibus nostris, et tinea regnant,
Qua tenebrosa seris captivas scrinia condunt;
Quantum erat heu! nostri studium, quam certa cupido!
Nunc virtute mea late, cultuque beatis,
Sordent Matris opes notae, miserumque subire
Cogimur exsilium. — Funestum sortis iniquae
Casum sola quidem miserata est Hunnia blandis
Me recreans verbis, et seque, fidemque perennem
Sacris addixit nostris: „Soror alma venito,
Dicens, et mecum venturos exige soles.
Tecum relligio mores divina domabit
Bellaces, et erit nostram solidare salutem
Cura tibi; leges scribes, et iura beandis
Arpadi populis; te curia, teque senatus
Sacraque musarum repetent, artesque Minervae.
Tu quoque verbosis felix dominabere rostris,
Conciliisque patrum patriae, monumentaque docta
Aeternis signanda notis, tua numina poscent."
Sunt rata dicta. Dehinc quantumvis perfida nobis
Regna suae linguae studeant magis: una fidelis
Hunnia pulchra mihi est: parit illa celebres
Verböczios, Katonas doctos, Palmasque disertos,
Codice Fejerium patrio super aethera notum.
Nec Constantini desunt mihi, Pallyaque clarus
Eloquiis, suavisque Makó, romanus et Arcas
Hannulik, et mihi quos non est numerare. Perennes
Hic cupiam sedes mihi figere, castraque cuncta
Musarum huc artesque velim Romamque migrare.
Sic ego; fata aliter. Certatim, atque agmine toto
Hungarus insurgit fervor, veterique gementem
Praecipitat solio: non demeruisse ruentem,
Nec meruisse iuvat quidquam: mihi iura negantur
Pristina, cumque illis primi tolluntur honores.
Arctamur magis, atque magis: pudor usque videtur
Thura litare mihi, solitisque inducere sertis
Aras Maiorum positas pietate; recusant
Alloquium passim nostrum; quin saepe trisulca
In caput, inque genus nostrum quasi fulmina vibrant:
„Saecla fere decies, memorant, repetita recurrunt,
Tu tamen usque iugo teneas (scelus!) hungara colla?

Nec liceat patris Arpadi sacra verba profari?
Denique te prohibente volens non hungarus ipse
Hungarus esse queat? Num te ductrice beatas
Vindicat has quondam sibi terras hunnica virtus?
Hacque tenus potuit servare? aut iure vocabis
Os latium mihi conveniens? Me partis Eoae
Toto diversam genuit plaga sidere, cultusque
Attribuit nobis proprios, nec laudis egenos
Vestrae, nec vestris opibus, nec sorte beandos.
At tu siquid habes, quod iactes, Dorica tellus
Protulit, et furtim penetralia vestra subivit."
Ergo satis non est depelli sede vetusta,
Iuribus antiquis nudari, et honore? proterva
Fronte insons, linguisque petor mordacibus: haec sunt
Praemia pro tantis meritis, haec denique merces!
Cedo equidem, sorti non huic, fatisque repugnans.
Nec tamen ipsa meas sic dotes nosco, carere
His ut posse rear populos: non Hunnia nobis
Si sapit, obtrectet penitus: qua cultior exstat
Pars hominum nostro laetata est numine semper.
Sic coeli et terrae potuit penetrare recessus
Arcanos, propriae veneres sic addere linguae,
Aeternumque decus famae, laudemque mereri.
Tempus erit pariter, quo nostras Hunnia rursus
Divitias petet, ac precibus, pretioque peritos
Conquiret nostri, plexas evolvere pugnans
Nodorum ambages, et condita dona Minervae.
Floreat interea, precor: inter saepe dolores
Despectus, soles viduos, tacitamque senectam
Gaudia non deerunt nobis, et conscia mens, me
Arpadi gentem saeclis bis quinque beasse.

XIX.

Paraphrasis Libri III. Odes 5. Horatii.

Dum tonat, et nigra caelum ferrugine squallet
Fulmina dira vibrans, illic regnare tonantem
Credimus anne Iovem? cuius terraeque polique
Servantur nutu, digitoque potente reguntur:
Non secus Augusti, qua sol surgensque cadensque
Urget equos, et qua regnant Boreasque Notusque,
Caesaris est nomen cunctis venerabile terris.
Vinxerat is iustis civilia bella catenis,
Et pacem patriae fessae, sortemque revexit
Optatam; quin et romani nominis hostes
Edomuit, Persasque graves, fortesque Britannos
Adiiciens latio sceptro, titulisque decoris.
Caesaris Augusti est, et Crassi gloria dispar!
Auspiciis spretis hic pugnat, vincitur; illa
Vincla gerit dextra, quae vincere noverat ante.
Nec satis: et liquido satiatur mortuus auro
(Ludibrium) siquod vivus sine fine sitivit.
Nec satis: et Crassi miles romanus amavit
Vivere cum Partho socero, bellumque movere
Sub signis Medis Latio, gentique paternae.
Appulus et Marsus, Mavortia pectora quondam,
Oblitus Vestae aeternae; nil nomina magna
Maiorum, nil ille togam, atque ancilia sacra
Curat (proh mores inversi, curia lapsa!)
Roma licet stet adhuc, Capitoliaque alta Tonantis
Imperiosa caput nitidum super aethera tollant.
Dedecori tanto cavit mens provida quondam
Attilii: nec enim Poenorum pacta probavit
Turpia, romano nec nomine digna: futurum
Ne fors exemplo foedo corruperit aevum;
Subducens morti misere, vinclisque ferentes
Tela manu iuvenes; qui se se tradere Poenis
Captivos potius cupiunt, quam Martis in armis
Pro patria et populo generosa morte perire.

Eia Patres, dixit, memores virtutis avitae,
Nequid romanum patiatur nomen, agamus,
Perfida destituit me vestra caterva monentem
Hortantemque ducem; captivus raptor, et ecce!
Conspicio delubra Deum; signisque decora
Atque aquilis latiis; vidi sine caede meorum
Direptos enses, galeas, et fortia tela;
Quin etiam vidi manibus pedibusque gerentes
Vincula Romanos cives. Terrore fugato
Interea Poenos ducentes otia lenta,
Portas non clausas; et quae prius arva superbe
Mars noster populatus erat, victorque tenebat,
Securo Poenus late scindebat aratro.
Ah! valeat, quicunque putat, si martia turma
Incidit hostiles in casses, duraque portat
Vincula; servilem ne porro ducere vitam
Cogatur, patriae quo possit vivere deinceps
Utilis, esse pium pretio revocare soluto.
Acrior in hostes miles properatne redemtus?
Flagitium est se se captivum tradere: damnum
Addere flagitio est ignavis demere vincla,
Exemploque malo seros violare nepotes.
Scilicet haud recipit dimissum lana colorem.
Si cuius virtus de pectore cesserat, illud
Utpote deterius, rursum negat illa subire.
Extricata plagis densis num cerva repugnat?
Quin silvas repetit potius, saltusque virentes.
Fallitur ah! nimium; fortem quicunque futurum
Credit eum, timuit qui mortem, et lora lacertis
Iam captiva tulit restrictis; quive subire
Hostiles potuit terras, ensemque coruscum
Gessit iners; nec se defendit, nec nocituros
In hostes ictus vibravit: supplicis instar
Sed tela abiecit, captivus vivere, quam se
Vulneribus mortique offerre paratior. Ille
Proditor ille suae patriae, gentisque latinae est.
Dedecus! haud novit vitam, nomenque perenne
Unde sibi fortes mercantur Martis alumni.
Instat pugna ferox, non desunt arma, nec hostes.
Congredimur; titubat praesens victoria, laurum

Romanis aquilis, an Poenis porrigat? ecce
(Nescio quo fato) vester sua proiicit arma
Miles, et ingenti pacem clamore precatur.
Proh pudor, et nostris maior Carthago ruinis!
Dixerat: et torvum figens cum lumine vultum
Ad terram, graditur patriasque relinquere terras
Certus, cum natis pia coniugis oscula temnit,
Propositique tenax verborum pondere patres
Consiliisque movet, quae nusquam protulit alter.
Exsilium ipse legit: non illum vota, precesque
Non retinent dulces, quamvis lacrimentur, amici.
Noverat ille quidem, quae tortor barbarus illi
Supplicia et diros cruciatus praeparet, ipsis
Praesentes oculis Tyriorum viderat iras:
Attamen haud aliter, qui se opposuere, propinguos
Dimovet, ac populum gressus, reditusque morantem;
Quam si multorum relevatus mole laborum,
Litibus exactis, defensis rite clientum
Rebus, et urbanis ereptus denique curis,
Pinguia cessatum properaret ad arva Venafri,
Aut peteret Baias, aut culta vireta Tarenti.

XX.

Monita patris ad filium Alexim in urbem, studiorum causa, proficiscentem 1836.

Fili, noster amor, matris peramantis ocelle,
Spes generis patrii, subeuntis dulce senectae
Praesidium fulcrumque meae! genitor tuus ille,
Qui patiens vestras mulcebat carmine quondam
Cunas, quive sinu tenerum gestabat alumnum,
Et custos morum fuerat vitaeque recentis:
Ille tuus genitor, sortis, mi nate, futurae
Defixus cura, te pignus cordis amatum
Nunc, siquando cupit docilem sibi dedere mentem,
Arrectasque aures monitis, verbisque paternis.

Iam prope ter quinos, pariter transegimus annos,
Dulce mihi fuerat timidum te figere primos
Gressus, inque bonae genitricis voce minuta
Et motis digitis ad se vocitantis in ulnas
Conspicere illapsum; blaeso te dulcius ore
Audire hinc nomen patris, hinc genitricis amatae
Lallantem, et coelum post me, superosque vocantem.
Dulce fuit morum vacuae committere menti
Semina, et ante oculos vitiorum pingere monstra.
Cernere cum sociis equitantem in arundine longa.
Nunc manibus refugum, nunc blanda voce fatentem
Quam tenero in matrem pectus tibi flagret amore.
Mox ubi bis ternae replerunt horrea messes,
Et toties rubeo fluxit vindemia musto,
Cernere dulce fuit cupidum penetrare scholarum
Tecta, et pendentem mandantis ab ore magistri,
Et poenae timidum, et iussorum rite sequacem,
Officio intentum, post fundamenta notata
Progressum subitum; qua doctus agebat Apollo,
Atque ducem sociis per singula castra Minervae.
Tempus adest tandem, quo divellaris, amate!
Ardua scansurus musarum culmina, doctas
Arch'medis tabulas, et prisci temporis acta,
Et lustraturus sapientum oracula; cultas
Interea curas linguarum pectore nunquam
Dimittens, neque virtutis vitaeque politae
Fulcra, bonas artes. At me patriosque penates
Et dulcem linques genitricem et limpida ruris
Gaudia, percelebres patriae venturus in urbes.
Atque utinam, ut celebres, pariter rectique piique,
Nec minus ac pulchri et studio teneantur honesti:
Ast, quid sint urbes, paucis, adverte, docebo.

Vituperatio urbium.

Congeries lapidum se se sub caerula condens
Nubium, et e multis passim congesta rapinis,
Artificum decorata manu, studioque recentis
Et veteris cultus educta. Hinc Doria quae sit

Pilarum series, fuerat quae cara Corinthiis,
Itala, quid praeamet tellus, disces: modo quid sint,
Demirans, mutata nimis, magalia quondam.
Pulchra quidem, sed proh dolor! illic (crede monenti)
Grassatur late scelerum nequissima turba.
Illic desidia est; illic Venus, alea, luxus,
Morumque innumerae pestes: vitare memento
Haec, pater, et natum moneo. Quos foeda moratur
Garrulitas multos cernes, fugiesque morantes
Sive ubi sollicito siccantur pocla ministro,
Seu coeunt ubi densa vagum in spectacula vulgus.
Exulat urbe fides, pietas procul exulat urbe.
Successere doli, stygiaque incude paratae
Fraudes, ac Superum contemtus, et undique mores
Corrupti. Hinc cernes turrita superbia quantum
Sustulerit caput, et despectet saeva minores;
Vel quod Croeseo non sint de stemmate nati,
Vel quod fortunam nimium sensere sinistram.
Illinc quanta sitis multos exurat habendi
Advertes, quam nil curent iustumque piumque;
Dum census cumulent, dum celsa palatia ponant.
Hos etiam advertes intra et mutarier extra.
Vix firmum invenies: grandi gemit iste podagrae,
Asthmatis ille malo; surdescunt ante senectam
Multi, et adhuc iuvenis sine vitro haud noscit amicum
Uno distantem passu; fluitantia laxis
In braccis cernes hic crura, ibi more caprorum
Promissas barbas in honore: redisse putares
Quae bis abhinc quattuor fluxerunt barbara saeclis
Tempora; per plateas, per compita, per biviumque
Otia captantes, oculis, linguisque petulcos
Conspicies multos. Sed enim quis singula possit,
Urbes quae captas mala vexant, voce referre?
Quis curas animi, quis acumina dixerit? aut cum
Spes animat, timor angit, amor caeco igne molestus
Mentem urit; quum lis labat, aut possessor adauget
Hospitii census, rerum crescente valore.

Laus urbium.

Urbés si tales, genitor dulcissime, dices:
Me lare sub patrio praestat traducere vitam
Multorum ignarum, niveis quae moribus olim
Adflarent culpae maculas tetrumque venenum.
Haec mea, mi fili, fuerit sententia tecum,
Si vivat nostrum soli sibi quisque: sed ecce!
Patria, quae genuit, partem sibi vendicat eius.
Qua fruimur vitae, fueritque negare piaclum.
Haec vero quoties (poteras audire frequenter)
Spe flammata pia roseo sic ore locuta est:
„Hunnica progenies, Martis generosa propago,
Virtute et bellis dudum super aethera nota!
Solane tu poteris tristi torpere veterno?
Quando erit illa dies, qua te certare videbo
Europae primis populis; qua laeta celebres
Artibus aequantem Gallos studiisque Minervae
Conspiciam; terras peregrino sole calentes
Visentem, et cultae curantem insignia vitae,
Et Maia geniti curas, studiumque foventem?
Hac neglecta gemit via publica; grandis arena
Inde lutumque vetat cursus sperare secundos,
Saepe canales, sed frustra commercia clamant;
Teutonibus quaecunque parant conamina famam,
Urgeo nequidquam. Populi sollertia dormit.“
Sic illa, et vere: sed qua tamen usque vetustae
Mutantur rerum facies, meliorque subintrat
Et vitae ratio, et quaerendae commoda vitae,
Urbes sunt. Nam cur, quae sunt manifesta, recusem
Dicere? Quippe placent urbes, quando utile poscit
Tempus, servatas si fruges vendere possim,
Et vaccas vetulas, et oves, et vellera lanae,
Et pullos, mel, lac, et cetera rustica dona.
Urbibus inde etiam laus est, si forte colonus
Dives opum fuerit positis in foenore nummis;
Vellere pro crudo, si serica tondeat Aegon,
Amplaque possideat diffusi iugera campi.

Continet urbs, fateor, vitiorum monstra; sed illa
Nec ruri desunt; illic sed plura? profundum
Si mare cum rivo componas, iste marinas
Numquid non phocas, et cetera monstra negabit?
Nec virtus, mansisse bonos, nequeuntibus usquam
Errare. Ardentes pugnae, num fortis in hostes
Insurgat miles, manifestant; saeva procella
Quid valeant remi celeres, validique lacerti.
Nec tamen, ut vincas, tentanda pericla putabis;
Sunt fragiles iuvenum vires, Phaëtontis abunde,
Icariusque docet casus: si paret uterque
Victima neuter erat flammis undisque futurus.
Non caret urbs, oculos quo pascat, quove gravatum
Exhilaret, cupidum quo ditet Apolline pectus;
Seu comtae plateae, seu te contermina tellus
Excipiat, cernes, quod lumina fixa moretur.
Hic gemmas, aurum mirabere; mille figuras
Et rerum formas, ebur has, lignum, lapis illas
Ceu vivas referunt, dices: clarosque sub auras
Lysippos, et Praxiteles remeasse putabis.
Nec deerunt vivi picta sub imagine vultus,
Ut iures, audax hos dextera pinxit Apellis.
Quid memorem ornatus hominum, biiugosque volantes,
Artificumque typum varium, variasque tabellas?
Haec vidisse satis fuerit tibi: dignior, opto,
Pectore cura tuo surgat, celebrata videndi
Metropolis patriae loca. Scandes moenia Budae
Et gratus recoles; diuturna nocte fugatus
Sol, quorum hic tandem rediit virtute serenus.
Illic si, patriae sidus, vidisse Iosephum
Proregem poteris, multa pietate calesces,
Hungara cui tellus aeternas iure columnas
Dedicat, et iusta tollit super aethera laude.
Aspicies hortos naturae regna virentis,
Devota auctorem veneratus mente supremum.
Nec pigeat patriae sacratas visere sedes,
Sive ubi lecta patent aevi monumenta vetusti,
Seu quae nostra tulit veteri praestantior aetas.
Praecipue libros rara virtute Szechényii
Usibus addictos patriae; memorique notabis

Mente, bonis cordi nunquam non civibus esse:
Qui valet, ingenio; qui par est ensibus, ense;
Et qui fortunis patriam relevare dicatis
Fortunis. Ut si Codros pietate perenni
Attica iactarit, romano si inclytus orbi
Mutius est; nunquam desint, quos Hunnia dignos
Hunnyadio gaudens celebret, Zrinyioque nepotes.
Sint et Aristides, magnique Demosthenes illi,
Quive pericleo turgentes numine promtis
Consiliis patriam studeant, opibusque beare.
Tempus erit, sonitu dum quadrupedante ruentes
Non spectabis equos, verum mirabere cursu
Praecipiti rapidos etiam praevertere ventos.
Otia sunto tibi vidisse haec. Pulchrior isthinc
Surgat spes animo: iam proxima lustra micare,
Cura ubi sit ruris melior, pecudisque tenellae.
Fiet et horrisono tormenti saepe fragore
Danubii ad ripas gressu ut properante voceris.
Aspicies illic celebri formosior Argo
Nunc Nádor, nunc Zrinyi volans urgente vaporum
Vi mira ut felix pestanis applicet oris:
Moxque velim subeat tibi passim talibus ausis
Et decus et lucrum populis, et commoda vitae
Augeri. Inde suus deinceps honor urbibus esto.
Haec inter sociis cingeris pluribus: hic te
Hic, fili, cuperem cautam defigere mentem
In iuvenes, quorum fidei tua verba patebunt,
Quive tibi fuerit convictor, quive tuorum
Testis sermonum, lateris qui fidus Achates.
Lurida corrumpunt niveos consortia mores:
Pullulat inde scelus, vitae venit inde ruina.
Nec, minus ac morbi celeres, et dira petigo
A pecude infirma late per ovilia serpunt:
Pravis a sociis vitiorum pestis adhaeret
Innocuis. Nec enim Vulcano proximus adstes,
Quin calor adsiliat venis, atque ossibus imis.
In coeno, coenosus eris, variosque colores
Inque toga, et manibus, quos ars tua tractat, habebis.
Te melior studiis, melior te moribus, aut par
Ille sit, addicta cui vives mente, sodalis.

Et tetricas pelles non raro e pectore curas,
Namque alterna iuvant. Fessus requiescit arator,
Et miles galea nudat caput, et latus ense
Solvit; et ipse arcum musasque relaxat Apollo.
Iuverit haec inter te consuetudo virorum
Queis virtus peperit famam, doctique labores.

XXI.

Paraphrasis Horatii Libri III. Odes 29.

Progenies Regum Tyrrhena, et grande mearum
Praesidium rerum, Moecenas, dulceque nostrum
Delicium! dudum praesentem cernere, suavi
Alloquioque tuo recreari flagito: tandem
Eripe, quaeso, morae te, nosque invise; rosarum
Flos tibi, si venias, blandos spirabit odores;
Lene merumque cado non hucdum fundere verso,
Nectareo curas merget, mihi crede, liquore;
Nec deerit balanus vestris nisi pressa capillis.
Eia, age, rumpe moras: non est, quod Tiburis udi
Aspicias virides campos, non Esula semper,
Telegonique iugum declivi colle moretur.
Copia namque trahit secum fastidia rerum;
Desere eam modico, Moecenas, tempore: linque
Magnae fumum et opes Romae strepitusque frementes.
Divitibus passim curae est alterna tenere:
Nunc canibus gaudent nemorosos cingere saltus,
Nunc animus volucres visco nunc casse ligare.
Iam vitreis merguntur aquis, iam piscibus hamos
Fallaces avidis iactant: modo rura per ampla
Aut per odoratos iuvat hortos, corde fugare,
Quae cingunt comites per celsa palatia, curas.
Nec minus aulaeis positis ostroque remoto
Paupere sub tecto solos persaepe morari
Delectat, mundasque simul consumere coenas.
Te tempusque vocat placidum, te sidera rebus,
Quas natura dedit, cupiunt recreare paratis.
Aspicis? Andromedae sidus, matrisque patrisque

Ut surgunt, posito velamine, luce recenti;
Et Procyon furit, et vesani stella Leonis
Fulgida, et aestivos properant duplicare calores.
Dux armentorum, pastor, pecudisque tenellae
Aestus per nimios Silvani frigida quaerunt
Dumeta, atque greges pariter compellere curant,
Et rivo relevare sitim; qua ripa volucri
Nunc taciturna caret vento, lenique susurro.
At tu consiliis Augusti, principis orbis
Atque urbis, praesens et pars quoque magna, diurnis
Nocturnisque agitas curis, quid commoda pacis,
Quidve ferant belli fremitus: decus unde perenne
Accedat Latio, et dominae nova gloria Romae.
Quid paret aut Seres, regnataque Bactra celebri
Cyro, vel Tanais discordibus horridus armis.
Si sapis, et nostris monitis, precibusque moveris,
Protinus insomnes depelles pectore curas:
Vita brevis celeri praesens pede labitur aetas.
Quid iuvat assiduo miseram mactare labore,
Venturosque dies rimari, et tempora vitae?
Ipse Deus, quidquid succedens parturit aevum,
Occuluit caeca prudens caligine noctis.
Inde ubi mortali siquis minus obvia menti
Audax scrutatur, superis fit fabula, risus.
Nonnisi praesens est nostrum. Praesentibus aequus
Utetur, quisquis sapientis nomen anhelat,
Si praesens demas, quid erit quod dicere tuto
Esse tuum possis? An non sic cetera cernis
Ut flumen praeterlabi: quod saepius alveo
Riparum fines intra, lenique susurro
Decurrens recreat silvas, et pascua laeta:
Tempora nunc currunt torrentis more rapacis,
Quem fera diluvies pluviis, nivibuspue solutis
Irritans rapido secum fert omnia cursu.
Hac homines pecudesque rapit, rapit inde revulsas
Stirpes, et lapidum moles, placidosque penates:
Quoque ruit, sternit sata laeta boumque labores,
Et rabie spes frustratur messemque coloni.
Haec inter querulis resonant clamoribus alti
Montes, et silvae vicinae, ruraque late.

Scire cupis forsan mea quem sententia vere
Et laetum dicatque sui vixisse potentem?
Talis erit, cui fas est quavis dicere luce,
Vixi: non patriae, non cuiquam iusta negavi,
Virtutis semper studiis intentus. Amoenos
Esto mihi soles revocet modo Iuppiter, atra
Occultet modo nube: tamen non irrita reddet
Tempora lapsa semel, nec quidquid denique factum est,
Infectum faciet. Fugit irrevocabile tempus,
Et secum quidquid genuit, tollitque, rapitque.
Sola manet virtus. Frustra hanc fortuna lacessit;
Ista quidem variat: laetos nunc praedita vultus
Nunc tetricos; lacrimis rigat illi lumina, cuius
Non pridem lepido diduxerat ora cachinno,
Inque sua est constans nisi mobilitate. Manentem
Laudo, si celeres pennas quatit, illa resigno
Quae dedit, atque mea memet virtute beatus
Involvo, et malo probitatis dote valere,
Quam cum divitiis perversos iungere mores.
Aequora convellunt fluctus, Aquiloque Notusque
Inter se adversa decertant praelia fronte.
Non ego profusis votis, precibusque rogabo
Astra meis: Cypriis Tyriisque benigna per altum
Mercibus esse velint, nec avaro gurgite mergant.
Nil moror, haec alios quantumvis cura fatiget:
Ipse ego pacata constabo mente, fugacis
Fortunae lusu maior, tutusque biremis
Praesidio lintris mediis de fluctibus Aegaei
Emergam maris. Haud secus, ac dum luce serena
Aura favens pronis blanditur flamine velis;
Et fratres Helenae Pollux Castorque micantes
Demulcent alias iratas aequoris undas.

XXII.

Alexis in eligendo vitae statu fluctuans.

Purpureus rubuit primo vix lumine Phoebus,
Molles quum thalamos linquens et patria tecta

Ad iuga vicinae Budae properabat Alexis:
Cumque petit, sinuat nova qua se se via, magni
Cernit ab adverso surgentia culmina Pesti;
Inque omnes ut agit tacitus vaga lumina partes,
Et mentem varii rerum subiere colores;
In studiis hominum quae cum defixa moratur,
Per pontem undantes videt et per compita turbas
Intentas lucro, variisque laboribus actas.
Ut mortale ruit studia in contraria vulgus,
Exclamat: vana delusus imagine rerum!
Hic levis inflati ventis agitatur honoris;
Hunc auri pretiosus amor, pulchrique cupido
Foenoris aggestis facit impallescere nummis,
Divitiis inopem, curisque ingentibus aegrum.
Hi fugiunt patriam peregrini solis amore:
Sed brevis hic furor est, rursum fastidia retro
Palantes revocant, et nota in tecta reponunt.
Hos sumto iuvat ire sago, ferroque Gradivum
Carpere; at hos piget insano trepidare tumultu
Obiectos, vitamque truci damnare periclo.
Hic senium exspectat, rugasque in fronte seniles;
Hunc pudet aetatis, canosque evellit inertes
Indigna senibus mentitus imagine formam.
Anxia sic hominum distendunt pectora curae
Innumerae: at me quo ducent mea denique fata,
Incertum vitae, sortis dubiumque futurae?
Ut venti fluctus agitant, agitatur et ille
Nunc huc, nunc illuc; quo tandem litore puppim
Defigat vitae volvens, vivatque beatus.

A voluptate seducitur.

Ecce autem, iuvenum praedatrix, blanda voluptas
Obvia fit dubio, vestes discincta, proterva
Fronte, procax verbis, incessu mollis, et audax:
Heus pulcher iuvenis, tua quo vestigia tendunt?
Ore renidenti fatur prior illa: serenos
Si tibi mens cunctos vitae traducere soles,
Protinus haud dubita facilem mihi tendere dextram.
Ipsa ego curarum, siquae tua pectora vexant,

Monstra abigam, ipsa dies revocabo lumine puros.
Nil votis cupies ardentibus, et nihil ore,
Quod tibi nostra neget pietas, divesque voluntas.
Forte leves iuvenis choreas optabis anhelus?
Ipsa adero, primosque choros, mihi crede, petemus.
Nunc praesens cupies plenis gaudere theatris?
Gaudebis; modo pocla voles spumantia Baccho
Mista iocis lepidis salibusque litare? litabis.
Impetus in lusus fuerit? ludemus: amabis
Sub viridi luco, vel aprici in gramine campi
Nectere forte moras? nectemus; stertere multam
In lucem? stertes. Sic mecum denique carpes
Gaudia: nil dubita pronam modo porrige dextram.
Ambigis, et dubia titubat sententia mente
Velle voluptatem sectari, et gaudia vitae?
Quid vita haec, quaeso, tenuis nisi fumus, et umbra est?
Praeterit ut rivus nunc limpidus, at simul undis
Intumuit pluviis, limo deformis. Honores
Si quaeres, curis vitam cumulabis acutis.
Militiae labor est ingens, gravidusque periclis.
Divitiis inhias? maior cruciabit habendi
Inde sitis; musas posces, artesque Minervae?
Hae quoque destituent tarda subeunte senecta.
Gloria fors vano capiet te murmure vulgi?
O caecas hominum mentes, o somnia vana!
Gloria quid prodest? pinget te forte decore,
Aut tumulo eripiet, vel te sine fine beabit?
Si sapis, et vitam cupies si vivere prudens,
Sponte recusabis duros tolerare labores,
Atque vices fugies incertas, sponte volabis
Quo mea signa vocant, horis circumdata laetis.
Dictis addiderat gestus, oculique procaces
Plus dictis mentem accendunt, iuvenemque morantur.
Sic volucres quondam laetas per nubila coeli
Fistula dulce canens visco adplicat usque tenaci.
Sic pisces avidos escae sub imagine fallax
Allicit et captos de gurgite protrahit hamus.
Iamque pari gressu, qua fert via cetera, vadunt,
Alternas inter voces, hilaresque cachinnos.
Heu puer infelix! quo te vesania raptat?

Quo ruis, aut quae spes incautum ludit? inani
Cur caperis rerum specie, verbisque dolosis?
Gemma tui generis, spes maxima patris, amatae
Delicium matris, sociorum care sodalis!
Tune voluptatis comes ibis perdite, tune
Ante diem patri tumulum matrique parabis?
Et tibi, quo tecum spes, et tua crimina condas?
O si aliquis Deus est, hominum qui fata gubernat,
Dum licet, hunc erebi patulis de faucibus, oro,
Eripiat; nostra nec enim iam voce movetur.
Audior? aut votis necquidquam celsa fatigo
Astra! nihil quod praecipitem revocaverit, exstat?

Per modestiam ad frugem revocatur.

Vota precesque pias calido de pectore fusas
Non credunt superi ventis, nec nostra feruntur
Irrita vota: prius quam totus abiret Alexis
Foeda voluptatis iuga portaturus: eundem
En! per iter divum cognata modestia sistit:
Induta humanos vultus, et frontis honorem
Augustum, raraeque decus memorabile formae.
Namque recens niveas exornat purpura malas,
Et mixtus candore rubor, pulchrisque rosarum
Gratia viva labris vernant, ac luce serena
Casta renidentem perfundunt lumina vultum.
Iuncta venustati maiestas blanda decorem
Auget, et aethereo probat esse e semine natam.
Haec male cum comitem perversae vidit Alexim,
Erubuit, oculosque dolens avertit, et imo
Pectore cum gemitu ducens suspiria, porro
Ire parat gradiens (posita spe posse reverti
Corruptum ad frugem); sed enim memor usque prioris
Cultus, et fidei, qua iunctus vixit Alexis
Hucdum illi, simul innocuum sua quaerere damna:
Condoluit, monitisque suis, queis saxea corda
Expugnare queat, tigresque domare feroces,
Instat: amor noster, geminans, et gaudia quondam,
Siste gradum precor, et nostris adverte querelis!
Non est quod fugias inimica mente, per omnes

Cui fueras annos carus, cui pectore toto
Tu pariter devotus eras: te gratia nostra
Candida deduxit tenerum per lilia vitae,
Nutrivit puerum, crescentem fovit alumnum;
Inde tibi superum proni venere favores,
Inde hominum. Musae faciles tibi nectere serta,
Et Phoebus, Pallasque caput praecingere lauris
Inde tuum properant. Si non tibi praemia tanta
Sunt cordi, tibi pulcher honor, viden? ampla parabat
Culmina, virtuti, meritis quoque debita: factis
Ipse tui poteras generis nomenque decusque
Augere, et merita praeconia carpere famae.
Et quantum fuerit foeda sine labe virentes
Exegisse dies vitae! non pectora culpis
Urgeri! quantum carae patriaeque, tuisque
Consilii, et rerum gestarum promere fructus!
Flecteris, et precibus mollescunt pectora nostris?
Aut sedet hinc coepto decurrere tramite? perge,
Perge, sed ante vide, quam pergis vivere, circum
Qui cingant vitam, famulatrix turba, dolores.
Aspicis? hinc morbos, genus acre, ut squalleat instans
Tartareisque ferox facibus, demensque furore,
Alba phthisis, turpisque elephas, ac lenta podagra,
Et tremula incerto febris variabilis aestu.
Debilis inde riget mortis cognata senectus
Ante diem accita et vitreos assueta per orbes
Imbelli plantas oculo firmare caducas:
Statque humeros contracta breves, faciemque perusta
Horrida crinigero silvescunt tempora mento.
Maestarum iuxta curarum effunditur agmen,
Infelix agmen! vigiles traducere noctes,
Insomni adsvetum studio, placidaeque quietis
Impatiens pressam iugulare in corpore mentem.
Et gemitus luctusque alto suspiria ducens
Fracta animo, lacero discissum pectus amictu;
Caesaries impexa riget, lacrimabilis atris
Obsita frons nebulis, toto sedet horror in ore.
Ipsa tenebrosis paupertas nata sub antris
It comes, investesque sinus, et pectora nuda
Vix rupto centone tegit; cava lumina tristi

Subsidunt vultu, digitis manus horret aduncis,
Et suadere nefas et multum audere parata.
Dira fames iuxta exsangui praepallida vultu,
Torva supercilio, costas nudata patentes,
Ventris habet pro ventre locum, vix ossibus haeret.
Hos comites, haec monstra tuae si iungere vitae
Fixum mente tibi est, coepto fac tramite vadas.

Labori se addicit.

Dixerat: in tenues vix illa recesserat auras,
Ambiguus, velut in bivio, titubabat Alexis,
Et revocare pedem, et mentem mutare paratus;
Si modo quis sociae disiungat, et adsit honesto
Quo pectus rursum incaluit, virtutis amori.
Exhorret mala mox audita, videtque futura,
Et pudet amissae famae, laudisque decorae,
Quam meruit, musis dum fidus vixit alumnus.
Iamque pedes tardant, vocemque silentia claudunt
Illius; incassumque novis agit artibus illa
Pernicies vitae florentis, blanda voluptas:
Cum labor haud dubio divorum numine praesens
Occurrit properante gradu, nudusque lacertos
Incultusque, rigans madidos sudoribus artus.
Et procul heus iuvenis! nostris dignissime castris,
Huc age mollitie spreta, curisque dolosis,
Ad mea sudorum pulcherrima castra venito.
Viribus hic, animisque tuis en! apta theatra
Invenies, torpore procul, vitiisque fugatis.
Hic sibi regna parant reges, victoria claris
Hic ducibus gaudet quaesitas tendere palmas;
Gratior aggestis nummis hic fama moratur,
Praetendens meritis palmas, et laurea serta.
Hic musae resident, hic doctae Palladis artes.
Qui canit arma, viros, animos qui carmine mulcet,
Noctes atque dies nostris apponit honores
Aris. Hinc virtute potens facundia surgit,
Et movet ipsa animos, et qua lubet aurea flectit.
Ipsa meis virtus succrescit nobilis arvis:
Hinc magnum Aeneam pietas per saecula vexit

Posthuma trans aevi metas et flumina Lethes.
Nestora consilium, robur Chironis alumnum,
Victoremque stygis; prudentia rara Catonem;
Pellaeum fortuna ducem, super aethera famae
Subvectos humeris, radiantibus intulit astris.
Quin et agri cultor fert hinc ad aratra iuvencos,
Colla iugo subdens, et sulcis arva supinans
Mollit agros, fructumque ciet, sudore profuso.
Et qui multiplici religatur munere patris,
Queis agitur curis! quos sustinet ille labores!
At quos dira fames auri, lucrique cupido
Occupat, haud fines operi, vel tempora ponunt.
Saeva procellosi non hos iniuria ponti,
Non brevia et syrtes caecae, scopulique latentes
Ire vias prohibent monstris, plenasque periclis.
Tuque igitur, cunctique, quibus primaeva iuventus
Floret adhuc tenerique dies, pulchraeque capaces
Virtutis surgunt animi, mandate labori
Aetatis primae spatium, turpique voluptae
Otia subtrahite. Ignavos amat illa clientes,
Sollertes refugit. Corrumpit inertia mentem,
Et sensim sterili vitiorum damnat arenae.
Non secus ac pigro tellus neglecta colono
Nec versata manu, nullisque exercita rastris
Torpet, et incultis sterilescit languida glebis,
Aut tribulis horret, silvamque minatur inanem.
Insidiosa quies, rerumque inimica bonarum
Est mentisque petigo probae. Quicunque veterno
Carperis, obscuram vives sine nomine vitam;
Aut tibi pauperies victrix dominabitur. Aurum
Non amat ignavos. Virtus atque otia nunquam
Conveniunt: duris gaudet victoria pugnis.
Qui male feminea sub cyclade mollis Achilles
Delituit, clypeum sumsit generosus et hastam;
Armatus placuit, dignaque in laude refulsit.
Gloria fastidit segnes. Labor improbus astris
Extulit heroas. Huc, huc properetis oportet.

LYRICORUM

LIBER UNUS.

VOS.
QUIBUS. CORDI. EST.
TENERIORES.
AUDIRE. LUSUS. MUSAE.
AURES. MULCENDO. ANIMOS. CAPERE.
ET. PECTORA.
DUCERE. INTENDENTIS.
QUO. OMNES.
QUIBUS. MELIORI. DE. LUTO. FINXIT.
PRAECORDIA. TITAN.
AD. RECTI. ET. HONESTI. AESTIMATIONEM.
ET. EXERCITIUM.

AD. PULCHERRIMAE. NATURAE. ADMIRATIONEM.
ET. IMITATIONEM.
ET. PER. HAEC.
AD. SUMMI. TONANTIS. PROVIDENTIAM.
INTIMIUS. AGNOSCENDAM.
ET. PIISSIMO. AFFECTU. ADORANDAM.
EXEMPLO. EFFICACI.
PERTRAHATIS.
SALVETE.

LYRICORUM
LIBER UNUS.

Ode I.

Transitus ad lyrica scribenda.

Quis ardor imis pectoris aedibus
Tumultuosos excitat impetus?
Quo nostra mens turget calore
Insolitos meditata nisus?
Fixum est canoros quaerere fortiter
Pindi recessus, queis hilares ioci
Cantusque molles, queis morantur
Metra tibi, Venusine vates,
Tentata: divum deliciae, choris
Devota doctis, nec minus aureae
Virtutis augusto propingua
Metra throno, gravibusque curis.
Valete cari quondam elegi! iuvat
Nos altiori carminis alite
Vehi per aeterni decoris
Culmina celsa, bonaeque famae.

Ode II.

Poesis.

Te canam sacro recreatus oestro
Filiam coeli, charitum sororem,
Atque ferventis comitem iuventae,
Diva poesis.

Te Deus mundi fabrica peracta
Siderum cinctam choreis micantum
Misit ad terras resonare dextrae
Facta potentis.
Audiit vocem Zephyrus canoram,
Audiit vestros philomela cantus;
Tesqua mox lucosque et aprica terrae
Carmina mulcent.
Quem pius cordis penetravit aestus
Sceptra mirantem superum corusca,
Corripit plectrum, celebratque magni
Iura Tonantis.
Hic canit pictos variis colorum
Floribus campos; canit hic aristis
Percitas Euro titubare terras,
Fluctibus undas.
Blandior multis semeleia proles
Purpuram tendit nitidam racemis;
Urget et plenas cecinisse laudes
Dulcis Iacchi.
Hunc latex traxit querulo susurru;
Virgines undae placuistis illi;
Plurimos Baiis metra dedicare
Iussit Apollo.
Orpheo tigres posito furore
Adsident; amnes rapidi recusant
Currere; et Pluto precibus benignas
Applicat aures.
Ducit Amphion animatus ipsa
Saxa Thebanos subitura muros:
Per vada et syrtes equitat celebris
Cantor Arion.
Eripis leto sua iura, dignos
Civium crines viridi revincens
Fronde; nec mergi pateris quieto
Gurgite Lethes.
Te procul saevi fugiunt dolores,
Dum voles puros revocare soles;
Te volant circum tumido recentes
Splene cachinni.

Sis meae custos et amor iuventae;
Dissipa nubes animo minaces.
Sic frequens grato tibi thure fumet
Ara, poesis.

Ode III.

Lyra.

Dum laxat almus frena Favonius,
Et rara vernis nubila solibus
Divisa cedunt, et patente
Aura levis vocat ire coelo:
Quid me ligatum blanditiis tenes
Adsueta tristes o Elegeia
Sonare cantus, et ciere
Cum gemitu lacrimas perenni?
Quin me recentis fulgura gloriae
Captare et alto carminis alite
Gaudere, sublimique plectro
Increpuisse lyram iuvabit.
Alcaei adesto numen amabile,
Divis amicum, nec rude maximos
Ornare victorum triumphos,
Et virides celebrare palmas.
Iam fulminantis regna patent poli,
Vocamur amplo coelituum choro
Miscere devota obsequentis
Sensa piasque preces camenae.
Molles querelae cedite, cedite.
Nil triste par est gignere fortibus
Tellus, beatae si renidet
Emta labore domus quietis.
Et vos amatae lumina patriae:
Sive altiori consilio inclyta;
Seu dedicata arae moventis
Cuncta supercilio Tonantis,

Claris decorae laudis in atriis
Audax videre est musa, virentibus
Ardetque sertis, laure, vestris
Emeritas redimire frontes.
Nec horret acri Martis acinace
Munita vivax dicere pectora;
Gemente nec metro refugit
Sangvineas memorare clades.
Virtutis optat saepius ignibus
Liquere blandis; saepius evibrat
Acres iambos in scelestos,
Docta bonos generare mores.
Et vos fugaci gurgite garruli
Fontes, et amplis frondibus arduae
Silvae morari concitatum
Vina iocique soletis oestrum.

Ode IV.

Virtus.

Virtus modesti pectoris accola,
Cognata coelo, terrigenum decus,
Et grande nutantis levamen
Orbis, amor sapientis et spes.
Tandem coruscis eripe te polis,
Nostraeque musae blandior asside;
Haec te volaturo laborat
Regna super populosque curru
Portare, nisus primitias sui
Tibi sacrando; nomen et inclytum
Dignasque mansuris in aevum
Carminibus celebrare laudes.
Quae musa nobis? quis dabit entheus,
Virtus, remotis sedibus inviam
Te access'e maiestate plenam
Lumine quis videat protervo?

Martis decoro pulvere nobilis
Lauros cruentas fronte gerens sua,
Tuis putat iustos honores
Thuraque digna dedisse templis
Ast ille ceras, magnaque nomina
Clarus vetusto stemmate praedicat;
Et, degener quorum est, avorum
Facta crepat generosus heres.
Hunc si micantes mygdonia trabe
Auroque multo principibus viris
Aedes locatae, destinatum
Officiis gravibus, suisque
Olim futurum civibus et decus
Et grande fulcrum, sponte patentibus
Portis, (velut proni favoris
Testibus) excipiant; beatas
Virtutis almae somniat ingredi
Sedes, et altis consiliis poli
Miscere se: quamvis priorem
Non hominem exuit, atque mores.
Est cui Minervae docta silentia,
Lunaeque mixtae solibus arduis
Latas merenti sponte lauri
Explicuere virentis umbras.
Deliberato pectore cui sedet
Fervore coelos ignibus aemulis
Urgere constanti, placere
Cui superis animosa cura est.
Sese obsequentem qui sibi subdidit,
Dum bella movit saevior indoles,
Et solus, exemtusque vulgo
Certa sui tenet arma voti.
Fortis profanos qui domuit metus,
Ad prima mollis vulnera nil gemens,
Casumque, fortunamque pulchro
Impetere haud timidus duello:
Hunc fronte virtus, respicis aurea,
Tutumque reddis; turbidus in caput
Quamvis et aethneos calores
Vertat agens mare, et omne Caurus.

Hic, et caducas mentis ab ardua
Sublimis aula non sine gaudio
Spectare par mundi ruinas,
Intrepidus sua colla coelo
Subdet ruenti. Tu mihi, tu, precor,
Adsiste semper! te duce concitas
Spero charybdes, et minaces
Incolumis superabo Scyllas.

Ode V.

Laus generosi belliducis Caroli Archiducis. 1825.

Quem virum laetor patriae cruentis
Cladibus fractae superesse; fortem
Quem virum semper veneror, coloque
Pectore fido,
Numne ego segnis taceam? tuasque
Bellicas laudes patiar latere?
Quas tibi Pallas generosa iustis
Contulit armis.
Sunt, mihi testes populi frequentes,
Galliae quantum metuenda virtus
Sit tua atroci, quoties cruentum
Fuderis hostem!
Tu prior densas aperis phalanges;
Te ducem Pannon violentus acri
Insequens ferro penetrat, tremensque
Obvius instat.
Non semel victus proprio periclo
Hostis agnovit, quid avita virtus
Hungari possit, duce te, quid acer
Militis ardor.
Est tibi mentis vigor, est sagacis
Ingenii flumen, bene consulendi
Est tibi duris dubiisque rebus
Promta facultas.

Quid graves mores, niveumque pectus,
Dona quid linguae memorem disertae?
O simul musis, et amice iusto
Carole Marti.
Eia, quo virtus tua te volentem
Incitat, fortis sequere; et priores
Laudibus laudes cumula, triumphis
Adde triumphos!

Ode VI.

Nicolao Sztankovics e Scholis Piis ad diem 6. decembris 1834.

Ite pallentes procul ite curae!
Lux micat laeto celebranda plectro:
Increpet chordas pietas, regatque
Gratia triplex.
Illa sub fibris latitans pioque
Angulo cordis sibi iure primas
Vindicat; coelo quia nexa nil mortale reflectit.
Hinc nives morum sociumque recti
Agmen, et candor copulatus aequo,
Et fides et fas et amica paci
Nata voluntas.
Haec sedens labris placidoque vultu
Parca sermonum: sedenim silendo,
Fama si poscat metuens feriri,
Usque diserta.
Consulis? fluctus dubios fugabit.
Provocas? laudes meritas negare
Cauta. Doctrinam sapit efficacem
Socrate turgens.
Alteri in factis gravibus moranti
Musa quae dignas properare lauros
Audeat? quando haec sibi pulchra dudum
Serta paravit.

Hanc Szeged, Veszprim, Vaciumque nostis:
Nostis Euclidis numeri et tabellae;
Et cohors tali prope semisaeclum
Mentore laeta.
Gratias in te Nicolae trinas
Thure devoti colimus calente:
Siquid est, iusto statuas honore
Vincet eburnas.

Ode VII.

In memoriam bisseculare m natalium regiae sientiarum universitatis hungaricae a Petro PÁZMÁN *cardinale et archiepis. strigoniensi Tyrnaviam 1635. introductae.*

Temporum nullo varianda cursu,
Celsior fatis, manet alma virtus:
Sola percussis labefacta sidunt
Corpora nervis.
Grandibus factis quibus eminere
Contigit quondam, fugiente vita,
Clarius surgit cineri superstes
Nomen, honosque.
Tale Pázmáni, subeunte saeclo
Tertio, sidus nitet aeviterna
Luce stipatum, volitatque late
Fama per orbem.
Altior saevis patriae procellis
Exules ille est revocare musas
Ausus, et sortis dubias opima
Dote beavit.
Nomini tanto meditatus aequum
Carmen, o qualem feror in triumphum!
Seu minas belli memorem, perennes
Sive corymbos.
Qua fremunt rixae comites furoris,
Civium fuso natat in cruore
Campus, hostili populata messis
Falce recumbit;

Qua ruunt arae, fugiuntque mores
Candidi; densa subeunt cohorte
Qua nefas, et fraus, et amica ficto
Crimina iuri;
Qua canunt lessum prope funerato
Pannoni vates; cecidere namque,
Spes quibus nixa est populi, frequente
Clade Quirites:
Advolat Pázmán, superum benignae
Obsequens menti, refugamque blanda
Ingemiscentis patriae salutem
Voce moratur.
Allicit musas, recreent ut aegram
Spe renascentis patriam vigoris;
Molliant mores simul efficaci
Arte magistrae.
Protinus doctis redimita sertis
Sacra pacatos properat corona
Tyrnavae ad fines sua collocare
Castra, nemusque.
Mox suas offert tabulas mathesis
Artium matres; simul et potentis
Iura naturae, stabilesque leges
Diva recludit.
Temporum prudens veterum implicatas
Expedit Clio series, futuri
Cauta, praesentem moderatur aequa
Mente senatum.
Quaeve dux vitae est sapientis, una
Emicat, cunctos refovens calore
Palladis lucos, sociansque certo
Foedere divas.
Inde cum puris redeunt serenae
Solibus lunae; novus inde manat
Ordo saeclorum melioris aevi,
Concolor auro.
Aemuli posthac properant favores
Principum divas opibus iuvare;
Unde diffusas patriae per oras
Lumina spargant.

Iuribus nexi veniunt honores,
Templa conduntur spatiosiora,
Et datur dignis iuga vindicatae
Scandere Budae.
Huc Themis cultae comes it catervae;
Arbiter vitae pariter Machaon
Iungitur, coelo dea nata doctum
Terminat agmen.
Hic chelys magnam resona Theresam
Grata; Francisco pietate multa
Hic lita plectrum, memoresque prome
Thuris honores.
Illa, quae regnant animis camenae,
Regiam, dixit, remeent in urbem;
Unde perculsas inimica dudum
Tela fugarunt.
Ordines primos iubet hic nitere
Torquibus, nequid superet decoris
Debiti Phoebo patrio, quod aetas
Altera poscat.
Ista proregis pariter Iosephi
Lux perennantes celebret labores:
Hinc honos cunctis patriae palaestris
Obtigit ingens.
Et vices Phoebi meritas gerentem
Te, fori sidus rutilum, Cziráky,
Praesidem grato cecinisse gaudent
Carmine musae.
Quod peregrinam stabili recepit
Sede, Pestinum sine laude, musa,
Praeteris? caras vel abhinc vocabis
Semper Athenas?
Hunc diem seri recolent nepotes:
Nec tuum, Dertsik, memorare nomen
Desinent fasti, pia quem dearum
Sacra fatigant.
Ferdinandeo chorus omnis aevo
Concinat paean, decus inde musis
Hoc venit: tantos genios reducit
Nominis heres.

Ode VIII.

Hymnus ad divum Ferdinandum in onomasi FERDINANDI *regis Hungariae hoc nomine quinti. 1836.*

Dive! seu mavis generis vocari
Austrii custos, Granataeque sidus,
Sive, devicto pelago, beati
Accola portus.
Huc ades! fusis precibus, micantes
Thure per flammas crepitante, votis
Fervidis proni colimus, rosaeque
Flore rubentis.
Ferdinandum, fac, tibi dedicatum
Nomine hoc regem, pietate multa
Aemulum magni patris, atque avorum
Nobile germen;
Dextera, flecti facilis, potenti
Protegas, vitam niveosque soles
Advehens vitae, simul et virentem
Pacis olivam.
Austrius supplex rogat hoc ad aras,
Hoc iugis horrens Tyrolis, propingui
Adriae hoc poscunt positae procellae,
Castraque septem.
Hungarus nulli pietate cedens
Hunc diem signat niveis lapillis,
Et cupit fastis celebrem per omnes
Ire nepotes.
Scilicet rege hoc rediviva gaudet
Gens lares rursum patrios redisse,
Exules dudum, latia fugatos
Quippe loquela.
Iura semotum revocant vigorem;
Dormiunt altum miserae querelae,
Laetior visit sua rura, et agnos
Thyrsis, et Alcon.

Stat suus templis, suus et Minervae
Nunc honos; Austris volitant secundis
Navitae, et remi celerant phaselos
Atque vapores.
Grandibus campi titubant aristis;
Lacteo rivi trepidant liquore;
Serta dat Chloris, sua largus offert
Dona Lyaeus.

Ode IX.

Soterion serenissimo IOSEPHO *archiduci Austriae, regni Hungariae palatino e gravi morbo convalescenti. 1837.*

Vota odoratae sociata flammae
De coronatis iaculemur aris:
Eia! festivi pietatis ignes
Undique surgant.
Spes, decus, gentis columen, thronique
Gratia divum recipit vigorem
Pristinum: laeti valuisse nostra
Vota canamus!
Qualis aestivo sitiens calore
Chloris, aut saevo lacerata nimbo
Perditi lugens pretium decoris
Colla reclinat:
Talis adfligit pia corda maeror,
Ingemunt urbes, fora, templa, vici;
Dum tuam, prorex, titubare vitam
Fama ferebat
Flebilis, tantis populis! paventes
Protinus cuncti geminant: amatum
Hungaris sidus, soliique fulcrum
Occidet? eheu!
Anxium quemvis propriae salutis
Vidimus; grandis dolor ussit omnes,
Octo plus lustris duce te peractis,
Te duce salvos.

Scilicet nostrae tua vita puppi
Semper, ut felix Cynosura, fulsit;
Inde vexerunt Zephyri faventes
Carbasa nostra.
Res foret bello, foret acta pace,
Dum sagax nostrae vigilas saluti,
Et salus gentis stetit, et perennis
Gloria crevit.
Marte vesanos iterante fluctus
Vidimus raptas misere carinas:
Nostra, te Tiphy, solitos prehendit
Ancora portus.
Vidimus lectae novies coronae
Patriae patrum sociasse curas,
Iuribus sceptri, patriaeque lucris
Lege tuendis.
Cultior quidquid tulit orbis usquam,
In decus regni, et populi salutem,
Hungaras per te subiisse laeti
Vidimus oras.
Ipsa, te puros revocante soles,
Fertilis frugum, pecorisque nutrix
Largius fundit sua dona tellus,
Mustaque Liber.
Namque qua nimbis caput ambit ingens
Carpatus, canis fluitatque culmis
Aequor agrorum, rubeoque manant
Nectare colles;
Qua Thetis loris equitans remissis
Seduli civit lacrimas coloni;
Quave mirata est volitare puppes
Ignibus actas:
Hungaris, prorex, tua cura rebus
Est Pharos; aevi melioris inde
Vena prorupit, pretiosa vectans
Tempora cunctis.
Inde mos legi comes ire gaudet;
Paret iniecto scelus omne freno;
Stat suum templis decus, et camenis
Sacra dicantur.

Palma virtuti pretiumque constat;
Arbitros aequi volat inde circum
Et fides, et ius, et avita laeto
Gloria vultu.
Coelitum, qui te precibus vocatus
Reddidit salvum, favor ille semper
Sospitem seros patriae, thronoque
Servet in annos!

Ode X.

Ad Stephanum archiducem, IOSEPHI *regni Hungariae palatini filium, post fatalem Danubii exundationem. 1838.*

Sic est. Acutas gestit amor vias
Inire, saevis denique pertinax
Frangi procellis. Nunc solutis
Dura ferox Acheronta calcat
Votis; Olympum nunc petit arduus,
Famae triumphum et fulgura gloriae
Expostulans; nunc aeviterno
Frondis honore comas inumbrat.
Seu bellicosis horridus hostibus
Pectus decoro vulnere nobile
Opponat exemplo nepotum
Temporibus rutilante seris:
Deliberatis sive laboribus
Curisque Consi fida sacraria
Rimetur Argus destinatam
In patriae populique sortem.
Custos fideli coniugio assidet.
Conviva gratus nectareis adest
Mensis, frequentant quas Orestes
Et Pylades reduces sub auras.
Urget parentum pectora, et intimis
Haeret medullis sollicitans caput
Patrumque matrumque, et subactam
Perpetuis facibus perurit

Mentem. Sed ardet surgere saepius
Sublime, magnos ausibus aemulis
Coelos sequendo; et complicati
Qua gemitus lacrimaeque dextram
Orant benignam, numinis instar est.
Hinc vindicata nubibus inserit
Lauro decorum verticem. Nil
Ardua plus valet ipsa virtus.
Hoc hoc micantem conspicimus loco
Te, magna gentis spes Stephane, decus
Saecli, parentis dulce pignus,
Semidiisque genus propinguum!
Secura linquis culmina tu Budae,
Voto parentis non minus ac tui
Ardore cordis concitatus,
Et properas miseris vocatam
Praesens salutem, qua licet, addere.
Nihil minaci Danubii impetu
Motus, nec iras aestuantis
Ambiguo fugiens timore.
Maior procellis pugnat amor tuus
Vitae et salutis prodigus et spei,
Audaxque sese aut devovere,
Aut miseris solidare fractam
Spem; primus illic horror ubi et fragor
Ferocienti sunt comites aquae,
Fameque tabent, aut supremo
Tecta fremunt ululata luctu.
Cognata coelis, credite posteri,
Et digna virtus principibus viris.
Salicta si contacta cedant,
Palma suos levet alta ramos.
Magni parentis gressibus imminens
O quanta ducis Stephane pectora!
Tot obligans vinclis quietos,
Quot miseris relevare sortem
Et voce blanda, et munifica manu
Vultuque, Princeps, propitio dies
Noctesque praesens collaboras,
Vera pii generis propago!

Mox lacrimarum, vultus ubi tuus
Adfulget, arent flumina; mox salus
Urbem revisit; mox ruinas
Tecta fugant recreata tristes.
Iam muniuntur subruta fortius,
Nova exstruuntur; iam fora prodeunt
Ornata; iamiam damna prosunt,
Qua superi voluere lucrum.

Ode XI.

Ad Emericum Palugyai ex episcopatu cassoviensi ad nittriensem translatum. 1839.

Iustisne pones, Nittria, luctibus
Modum, recenti saucia funere
Pastoris arguti? benigna
Si patriae tibi cura patris
Festinet atris demere nubibus
Vultus; reducens sidus amabile
Votis, et umbra vix sepultum
Propitia iubar explicare
Manu. Vides? quis praesulis optimi
Partes sereno tendat anhelitu
Explere? depulsoque nimbo
Quis cupiat revocare solem?
Pignus vetusti sanguinis inclytum,
Optate votis, praesul, ades piis!
Effuso in occursum fideli
Eia, Emerice, gregi paternam
Praebeto dextram: protinus omnium
Fibris amoris subiicies faces;
Et Fuchsium in te, Kluch, Vurumque,
Nomina perpetuo colenda,
Curremus ultro devenerarier.
Te rara virtus culmen ad arduum
Evexit, hinc iam prorogatos
Per titulos meritosque fasces

Ibis secundis vectus Etesiis:
Comes viarum pulchra modestia,
Excelsa mens et candor ibunt,
Et gravitas placidique mores.
Frustra laboras regis amabilis
Fixo morari limite gratiam
Hernadi ad apta deligando
Litora, velaque contrahendo.
Frustra peroptas, gloria praesulum,
Latere: prodit fama loco tua
Patentiore, solis instar,
Qui occiduus patet esse maior.
Dic ergo, fixum est: „ibimus, ibimus
Ultra Tibiscum, qua Marahaniae
Olim superbus Svendibaldus
Iura dabat populis subactis.
Qua multus urbi verticis imminet
Zobor camenis percelebri Nitrae:
Hic pastor, hic posthac locabo
Tuta mapalia, forma factus
Gregis: revisam dissita ovilia
Montes per altos; quisnam ovium status
Argus requirens, quae reductis
Pabula valle, quis adsit aegris
Caulis Apollo; laetaque pascua
Monstrabo sollers. Sollicitudinum
Haec sit mearum parva non pars,
Somnia quae solitae quietis
Persaepe rumpant.“ Iamque per arduas
Turres resultat iubilus et fragor,
Iam serta rident per plateas,
Tympana iam resonant tubarum
Clangore mixto. Praesul adest! amor,
Regis, suorum delicium et decus.
O care praesul! postulamus
Nestoris ut vegetus per annos
Vivas tuorum iugiter intimo
Cordis repostus: sentiat ultimus
Irus tua sese levari
Dulci ope, praesidioque certo.

Ode XII.

Anno saeculari introducti in oppidum ÓVÁR *provinciae mosoniensis scholarum piarum instituti scripta. 1839.*

Hic, ubi leni properat susurro
Lajtha nutantes nèmoris per umbras,
Et tuis, Óvár, pedibus rigatis
Mergitur Istro.
Eia! bis deno revoluta cursu
Lustra festivo resonemus ore,
Carminum pictis sociata sertis
Thura litantes.
Nomen et famam viridesque lauros
Docte per sacras bene nundinari
Aonis curas, Zsidanics, calenti
Te prius oestro
Concinam: dudum memorem nepotum,
Et quibus laudum veniant triumphi
Ac salus regnis meditantem, et amplo
Munere largum.
Dormiunt altum rigido cruenti
Marte; sublimes, cecidere vultus,
Quos honor vexit tumidosque circum
Fulserat Hermus:
At piis tu adstas redivivus aris
Gloria, et gratis nitidus corymbis,
Debito pulchris meritis tributo
Denique clarus.
Aspicis densam iuvenum catervam
Victimas coelo manibus supinis
Tollere almas, et tibi dedicatum
Dicere carmen?
Si polis nexa est, patriae fidelis,
Regibus constans pietate; si fas
Et pudor totam tenet, ac honesti
Lege coercet:

Id tuo debet memor instituto.
O brevi quantum iaculantur aevo,
Utiles quos sic populi fatentur!
Saecla futura
Serviunt famae, meritis redonant
Arduis anni celeres vigorem;
Nec bonis desunt animis faces, nec
Praemia factis.
Carolum ne isthinc memorem, an perennem
Laude Franciscum? dubito: prioris
Nutus adduxit, revocavit huius
Aequa voluntas
Exules musas tibi rursus, Óvár:
Iure magnorum numero recenses
Principum ambos, et melioris aevi
Numina dicis.
Praesuli Groll stet sua laus honosque,
Iauriae sedis decori, carinae
Arbitro nostrae prius; huic deinceps
Semper amico.
Hospites musas pius hic ovili
Addidit sacro, placidis favoris
Contegens umbris, animansque laeta
Fronte futuri.
Annuis coeptis Halapi, scholarum
Grande nostrarum decus, et ocelle
Palladis doctae: tua frondet isthinc
Nunc quoque laurus.
Creverant exin tacite furentes
Inter assultus liquidosque soles
Res camenarum, patuloque late
Ore volarunt.
Sic iugo quercus bene fixa, saevi
Praeliis Cauri solidata et Euri
Pertinax haeret pedibus, sacraque est
Laetior umbra.
Cum tuo, Grosser, Zephyri recentes
Advolant nutu: novus inde ludos
Ardor incendit, pretiique rari
Lustra recurrunt.

Mox nitor templo, moderante Bendik,
Tecta mox cultu spatiosa surgunt.
Fusa vestrorum pia sunto messis
Vota laborum.
Audiat sidus Calasanctianae
Stirpis ex alto haec, precibusque multis
Commodo vestros patriae iuventae
Proroget annos.

Ode XIII.

Anno saeculari in l. ac r. provinciae sarosiensis civitatem Cibinium introducti instituti scholarum piarum. 1840.

Urbs, piae nomen revocans Sabinae,
Et tuas gestit resonare laudes
Nostra virtuti, meritisque semper
Musa fidelis.
Te iugis coelo nimium propinguis
Carpatus munit, recreat Torissa
Vitreis undis, trahit et vetusto
Rudere Sáros;
Temperant umbrae riguis morantes
Vallibus solem tibi, lene pulchris
Numen in lucis sedet, omnis halat
Chlorida tellus:
Amplior surgit tamen a camenis
Fama, queis ulnas reseras anhelas,
Sol abhinc deno decies ut anno
Signa revisit.
Annuit voto sacra turba laetis
Advolans alis, revehitque, nocte
Mentium pulsa, decus et cupitos
Frontis honores.
Addidit pennas properis secundo
Marte stipatos loculos Deseőffy
Dedicans musis, positurus apte
Debita census.

Sic amet virtus generosa fines
Patrios ausu melior tueri:
Sic fluant Croesos opulenta circum
Commoda pacis!
Sedulam qualis redeunte nato,
Distinet matrem labor atque cura:
Hospites tali refoves camenas
Certa futurae
Gloriae, ditis quoque certa lucri,
Qualibet largo trepidantis amne;
Unde mos, et lex, et honor, pudorque
Aureus exstant.
Mox locum signas nitidis patentem
Sedibus, divum propiore fano
Consecratum. Si pretium fugato
Stabit honesto
Artibus? frustra, pietatis acta
Longius cura et superum timore,
Merce doctrinae super astra claro
Vertice surgis.
Deserit musas decor, ac honores
Deserunt famae, simul atque recti
Limites extra positas reliquit
Mascula virtus.
Iamque praeclaro procul his ab oris
Maior exemplo, facibus peruris
Aemulis pronos animos; et ista
Gloria late
Vindicat primos merito triumphos:
Esse pro multis caput, et ciere
Luce factorum numerosa post se
Facta nepotum.
Civium curas sociata Sáros,
Tota partita est, humerisque densa
Excipit cultus proprios, decusque,
Spesque ferentes.
Praesuli nomen Keczer inde crevit,
Semseis inde, et Palocsais, Deseőffisque,
Et quibus cordi fuit aeviternas
Carpere lauros.

Quantus hei! nostris numerus virorum
Hinc et hinc offert oculis! quis ardor
Vultibus! quali pietas tumultu
Pectora pulsat!
Mille bis senis vicibus coacto
Haud premat tantam numero cătervam,
Cui calet pectus tibi dedicatum
Dicere carmen.
Hac suae primos memorant iuventae
Mentores; fructus subeuntis illac
Temporis coeli, patriaeque lucris
Rite sacrati.
Sume praetextam meritis coronam
Valle Cibinium modica recumbens,
Laude par magnis patriae patentis
Urbibus: isthinc
Alteram saecli subitura molem
Urbs, piae patrum peramica turbae,
Eia devotos pietatis imae
Accipe testes.
Dextera iustum libret efficaci
Curiam vestram, placidos gubernet
Aequitas cives; per et arva late
Ambulet alma
Faustitas semper tua, sic vovemus:
Tuque sis Sáros paribus beata,
Dicimus, votis, gremiumque blandis
Annue musis.
Inde laus terris, populisque venit:
Et salus vestras subit inde sedes;
Inde stat natis honor, inde vivax
Gloria crescet.
Luce Musarum rutilante festa
Merzse, vir grato memorande plectro,
Cingito iustam meritis, probante
Pallade, laurum.
Huc ades patrum columen piorum
Grosser, incenso călet ara thure,
Quae tibi divum mereatur aequos
Axe favores;

Sive distractos, pater, atque praeses,
Ordinis vises socios, viarum
Dura despectans, et iniqua saepe
Tempora fesso:
Seu pio, suada celebris, tuorum
Consules sorti medius senatu
Arbiter, carae patriae, tuisque
Vivere certus.
Teque votorum bona pars, Kronovszky,
Postulat festi reducis frequentem,
Et ducem, et carum caput: hinc amatus
Denique vives,
Ut prius, fratres animo paterno
In tuos, totus; teneraeque custos
Pervigil turbae, liquidique clarus
Laude modesti.
Seduli vobis pariter magistri
Artium lux haec properat salutem;
Quosque praesentes venerantur huius
Gaudia lucis.
Ferdinandeos utinam, velut nos,
Posteri quondam sibi gratulentur
Aureos cultu rediisse soles,
Pace beatos!

Ode XIV.

Ad Ignatium KRIZSÁNY *dioecesis alba-regalensis canonicum, abbatem etc. suum quondam in humanioribus scholis condiscipulum. 1852.*

Krizsány, care sodalium,
Intentos placidis Pieridum sacris
Quondam viribus aemulis,
Ambos dum retinent blanditiae Tatae
Baiarum illecebris pares.
Disiunctos laribus lustra fere novem
Nos qua propitiae favor

Sortis gestit amans iungere mutuo
Amplexu, salit intimae
Sensus laetitiae quantus in omnibus
Fibris ut mihi, sic tibi!
Te sacri penetrans eloquii nitor
Ac vis, multaque gratia,
Nec non cura gregis sedula crediti
Iunxit purpureo patrum
Albae concilio: isthuc comes it tibi
Coelo nexa fides, cui
Se candor sociant, nudaque veritas,
Et iusti studium flagrans,
Et cognata polis munificentia;
Quam dudum orba parentibus
Et turba, et viduae, sorteque nubila
Pressi voce pia sonant.
At me praeter eam quid potius iuvet?
Quam propensa tuae mihi
Frontis temperies, nubeque libera
Fastus; qua recipis, tui
Partirisque laris commoda, gaudia
Mecum: atras animi fugans
Curas, et relevans languida pectora.
Sic te praesul amet tuus,
Ignati, ut celeri sedulus immines
Eius vestigiis pede.
Fortunae volucris diffugiunt bona
Umbrae instar, memori nisi
Clavo obstricta nimis pectora fixerint.

Ode XV.

Ad Joannem SZILASSY *etc. canonicum magnovaradinensem latini ritus, qui theologiae suae pastoralis exemplaria residua societati s. Stephani, et alumnis dioecesis sabariensis donaverat. 1854.*

Doctorum numero dulce Szilassium
Nomen, grata meae materies lyrae!
Qua musae pietas, quave flagrans amor
Urgent, num dubitem sequi?
Venturi memorem temporis inclyto
Fautorem ingenio te celebrant, piam,
Qua formare iuvet cerea pectora,
Artem qui sapiens doces.
Quaenam Christicolas cura, quis optimus
Pastoris labor ad tuta mapalia
Electos Domini ducere sit greges:
Quis te, quis melius monet?
At non limpidulis fontibus est satis,
Dulces si proprio contineant sinu
Undas; quin properent undique consita
Exaugere ope germina.
Et te munifica cernimus id manu
Molitum, ingenii flumina largius
Derivans patriae per sacra pascua:
Addictus nisi coelitum
Aris atque lucro, quod beat unice
Mortales. Ita te praesulis optimi
Surrexisse iuvat, qua licet, aemulum.
Dignus coelicolis labor!

Ode XVI.

Tempestas maialis. 1830.

Heu! quis terrifici fulminis impetus
Exercet tenebras caecaque nubila.
Ut nigris rabies feta vaporibus
Horrendam populis perniciem parat!
Quod murmur gravium carcere nubium
Erumpit! propius iam propius tonat.
At venti rapidis per iuga flatibus,
Perque arva et patulos transvolitant lacus.
Iam Vértes rigidas sustinuit minas,
Gerardique iugo detumuit furor.
Hinc praeceps humiles ecce! petit plagas
Nimbus; mox tremulus per populos pavor
Inter nubivagas dux equitat faces.
Dum rauco resonant interea sono
Ripae, fulmineus quem glomerat fragor.
Creber cuncta quatit pectora anhelitus,
Pallescunt facies, et timidae preces
Sublatis manibus sollicitant polos.
At tu, dum trepidant cuncta, leves lyrae
Chordas non dubitas vellere limpidus
Otii? quin cuperem dicere numinis,
Quae coelo tonuit, terribilem manum,
Quam nunc munifica hinc, quamque benigna sit!
Halabat tumidas tetra Mephitis ad
Undas de putribus nata paludibus;
Nec secura diu vita, salus manet,
Cum languor, macies pallida, milleque
Morborum species undique subruant.
Frondentes avidus pascitur arbores
Vermis; terra sitit, siccaque rumpitur,
Nec plantas teneras primaque germina
Sustentat riguis orba liquoribus.
Dum sortem miseram commiseratus est
Nutu cuncta movens coelituum pater.

Praemittit Zephyros, cumque Aquilonibus
Decertantem Africum, qui fera praelia
Miscentes putridos flatibus halitus
Verrant; exagitent arboribus comas
Infestis nimium vermiculis graves.
At dum terribili murmure nubium
Et crebris iaculis fulmineam manum
Iactasset, sat erat terrigenis pium
Incussisse metum: quo memores Deum
Et thure et precibus menteque candida
Observent. Tetricas dissipat hinc minas,
Rarescunt sonitus atraque nubila,
Quae mox horruimus, per salubres ruunt
Guttas, et recreant langvida pectora,
Atque arva atque nemus cunctaque gramina.
Tempestas igitur tu quoque me doces
Immensam superum noscere dexteram;
Intentare minas quae solet impiis,
Offert dona pio corde colentibus.

Ode XVII.

Zrinyi ad Szigetvár.

Qua tuis divi tacite Gerardi
Verticem elatum veneraris undis
Ister, et celsae rediviva spectas
Moenia Budae:
Zrinyium nomen celebresque palmas
Ausibus partas patriae sacratis
Urgeor grato resonare plectro
Numine plenus.
O sacri collis decus! o magistrum
Numen! o praeses latiae camenae,
Phoebe, da tanto mihi carmen aptum
Martis alumno!

Patriae, regi quis erat, quis illo
Iunctior? cuius generosa Thracum
Dextra saevorum melius feroces
Contudit iras?
Horret, ut vento folium movente,
Zrinyium nomen furiosa turba
Bistonum, et salvo hoc negat esse tutum
Carpere nostros.
Frendet ultrices oculis et ore
Fulminans iras Solimannus, et se
Vindicem cari Mehemetis aequum
Iurat adesse.
Num tremit Zrinyi, precibusque supplex
Pectus irati furiale flectit?
Dona vel mittit? pretiove curat
Salvus abire?
Hungarum quisquis putat ista posse,
Fallitur: plenus pietate semper
Qui solet regi, patriaeque vitam,
Sponte litare.
Cerne, quis Zrinyium, sua dum Szigetho
Fraude Vulcani properat ruina,
Concitet fervor? velut orba natis
Pectore laena
Irrugit toto: generose, clamat,
Sanguis Hunnorum! rigidis revinctum
Te trahet dirus Soliman catenis,
Aut moriendum est.
Mors iuvat vita magis indecora?
Eia pugnemus: moriamur omnes
Fortiter, regi et patriae fideles
Tempore quovis.
Confremunt cunti: „Moriamur omnes!“
Irrunt hosti, gemitus, furorque
Undique et letum volat: et recumbunt
Fortiter omnes.

Ode XVIII.

Ad Georgium FEJÉR, *praepositum, canonicum etc. qui tentaminibus publicis in gymnasio pestiensi scholarum piarum diligenter interfuerat.*

Aeterna laudum nec violabilis
Merces, Georgi, culmine de sacro
Surgat tibi, amplexu tenellas
Qui placido recreas camenas.
Cui Flaccus urit candida pectora,
Cui fas et aequum semper inambulat
Ore atque factis; hunc Apollo
Virgineusque chorus dearum
Lauro perenni cingere gestiunt.
Te te, micantem fulgure gloriae
Amplo, salutat voce grandi
Terra patens superumque coetus!
Adverte quantis aestuet ignibus
Pubes, novus cui Phoebus habebitur
Vultus tuus; tum, quae sereno
Dulce micans sedet ore, virtus.
Miratur haec, et laudibus efferet
Te iure musis grande decus vocans;
Salvaque maiestate blandum
Alloquium niveosque mores.

Ode XIX.

Veris amoenitas stimulet ad laborem.

Eia! qua coeli facies serena,
Qua vocant blandis Zephyri susurris,
Qua novis luci volitant sub umbris
Gaudia veris;

Per nemus densum patulosque campos,
Inter argutas vitrei querelas
Rivuli, et cantus volucrum sonoros
Eia canamus!
Purpuram sudo redeuntis ortu
Solis, an currum croceum cadentis,
Aut libet multa medio sub axe
Luce coruscum
Dicere? an terrae posita rigentis
Sarcina brumae rediviva rite
Visa mirari decora, et canora
Tollere buxo?
Hac virent picti varii coloris
Floribus campi; tumet inde pulchram
Sub sinu condens tacito corollam
Gemma rosarum.
Spes ciet late seges ampla cultos,
Ut vocant aurae, titubans per agros;
Ludit in pratis rapidoque cursu
Exilit agna.
Fronde sub caeca philomela voce
Aemula dulces iterat querelas;
Interim raucis resonant odora
Prata cicadis.
Sedulum formica subit laborem;
Evolant mellis studio cohortes
Virgines; laeta Corydon ovile
Mulcet avena.
Queis labor nixus humeris caducam
Sustinet vitam, quoties silenti
Debitam nocti minuunt quietem!
Lumine primo
Sudor ardentes subit officinas;
Ingemunt tauri subeunte ferro
Dura terrarum; vigilat virentis
Cultor agelli.
Turba musarum studiosa, tune
Ista torpenti videas veterno
Mersus, et nulli moveant caloris
Pectora sensus?

Mira naturae parientis acta
Nescio possis oculo tueri?
Nec simul magnum venereris imo
Corde Tonantem?
At vocant summum resonare patrem
Portus, aer, lux, radiansque Titan,
Et sinu fruges properans ferace
Fundere tellus.
Cuncta dum cernis solitis vacare
Naviter curis; pudeat renati
Veris ad pompam vacuos laboris
Ducere soles.

Ode XX.

De malis sociis fugiendis.

Si fortuna iuvat libera nubibus,
Nec vitae celeres perdere si dies
Gaudes: disce tuo vivere in angulo,
Multorum socius dicier abnuens.
Antequam populo notus eas, tibi
Solus saepe vaces, utiliter latens.
Turbam quippe subit moribus innocens,
At vero patrios dum repetit lares
Exutus faciem, quam tulit, integro
Morbus iura tenet corpore, et artubus.
Pallor fronte sedet, livida conspicis,
Qua risere rosae, signa tumescere.
Necquidquam revocat prima puertiae
Expertis scelerum tempora. Si roges,
Cur tam praecipiti langueat in loco
Vicinus tumulo? Me socius malus,
Dicet, blanditiis vicerat. En patrum
Et carae patriae spes prope maxima!
Huc curae vigiles, huc pia denique
Tot praecepta cadunt! Scilicet igneos
Accendesne focos, quin caleas? hyems
Non te frigoribus discruciet suis,

Nudum si videat vestibus? — Allinit
Mores quisque suos in socium. Ferox
Immites socios multiplicat; doli
Cuius pectus habent, te similem facit.
Disces invidiam, si tuus invidet
Damon; mollis eris mollibus additus.
Sic morbis pecudes inficiunt pecus
Vicinum; nec erunt tecta furentibus
Flammis iuncta diu tuta. Cupis vices
Tranquillas? fugito, quos probitas fugit.

Ode XXI.

Iuvenis adsvesce labori.

Cui stant recentes robore corporis
Audace vires, laetaque sangvine
Fervente diffusis per artus
Vena fluit refluitque rivis.
Et mens volatu pennigero levis
Fertur perennis fulgure gloriae
Excita, neu languens fatiscat
Pulcher honor stimulos remiscet,
Iuventa florens! assiduis, cave,
Sacranda vitae lustra laboribus
Turpi implicando te veterno
Conterere otia lenta quaerens.
Est hora praesens, quam numeras, tua;
Et haec fugaci tollitur alite
Nunquam reversura, aeviternis
Ni meritis operosa figas.
Frustra caducae tempora inertiae
Damnabis, ardens vivere perditos
Prudenter annos, si benigna
Astra sinant revocare, frustra!
Primo sementem vere iacis, tui
Quondam laboris messe beatior:
Victurus isthinc subsequentem
Consilio meliore vitam.

Ode XXII.

Iniurias ferendo vince.

Atras pelle procul, candide, nebulas
Vultus, et cilium nubibus expedi
Indignis; tacito nec geme vulnere,
Neu pectus rigidae cura premat tuum
Vindictae; laceret si bene consciam
Famam tartareis morsibus horridus
Momus; triste bonis supplicium. Genus
Vincendi celebre est spernere vulnera.
Absorbe patulo pectoris ambitu
Liventes satyras, quas iacit improbus:
Poenus quando leo magnanimus sat est
Intentata canum temnere murmura.
Latrans opprobrium ferre virum decet,
Non clamore pari solvere verbera
Linguae: si facias, desinis esse vir.
Imbelles etiam talia feminae
Audent. Dum lateris stringis acinacem
Ulturus probra, quid? bellua es: invido
Haec morsu laniat, calcitrat ungula
Atrox, aut rabidis morsibus irruit,
Aut se mortiferis vindicat ungvibus.
Dementem ratio temperet impetum.
Contemnis? stolido figis acerbius
Censori iaculum; fronte protervior
Obstas? ipse paras aemula fulmina.
At vero opprobrium ferre, putas, grave est.
Non hoc lene, ferox si regeras, erit.
Linguae semper erunt spicula; qui timet
Haec perferre, viri pectora iam exuit.
Magnum forte virum cernere discupis?
Regnantem patulo Cynthium in aethere
Contemplare, nigris celsior eminet
Hic nimbis rutilas fulminis orbitas
Despectans. Volucris non variat genas
Fortunae arbitrio, et tacitus vulnera digerit.
Quin quamvis humilis grande calumnia

Linguae praecipiti cuspide torqueat
Vulnus, pacifici pectus in integrum
Vi nulla penetrat: dumque manet suo
Mens infracta loco verba calumniae
Fortis ceu fragilem temnit arundinem.
Haec nos saepe movet, non quia grandis est,
Sed grandem facimus; dum minor impetu
Est nobis animus. Vincere non queas
Siquid difficilem reddit opinio?
At scutum impavidi pectoris obiice
Linguarum iaculis non superabile;
Indignumque puta fundere lacrimas.
Tutus propitio numine, et integri
Munitus validis pectoris aedibus.

Ode XXIII.

Ad Rosam.

Te decus veris, rosa, si modestam
Explices frontem tacitus videre
Quis queat? quis non celebret sonoro
Carmine dignam?
Quis neget blandis Zephyris amicam,
Purpurae laetos oculos morantis
Aemulam, et cursu rapido fluentis
Symbola vitae?
Cernimus spinis riguisse duris
Hinc et hinc ramos nitide virentes:
Quippe mordaces pariter recingunt
Nos quoque curae.
Cernimus vermes tibi saepe multis
Dentibus vulgo aut tacite nocivos:
Lividae sic nos homines lacessunt
Crimine linguae.
At tui grato recreant odore
Ut sinus: o nos utinam queamus
Non minus pulchris meritis decoros
Vivere soles!

Ode XXIV.

Fabula. Danubius et rivulus.

Quam parvus est tibi liquor, rivule! vides?
Ut noster altas saepe fluctibus ruat
Ripas, inundet campos, prata perluat.
Praestaret undas condere exiguas solo
Silente, quam esse fluminum patentium
Ludibrium et risus. Nihil, contra ille, erit
Succenseas quod tu tuique pares mihi,
Vel rivulis sociis: tantummodo bene
Memineris, undas, queis tumescis, haud tuas
Solius esse; sed meis liquoribus,
Et rivulorum plurium succrescere.
Quos si negemus, non poteris temet diu
Iactare nobis similis in capite latex.
Cur pauperem dives superbe temserit,
Sudore vitam si illius servet suam?

Ode XXV.

Hymnus pro pluvia mense Maio. 1840.

Summe terrarum Moderator, almus
Qui pater gaudes precibus vocari,
Supplicum, quaeso, calidis benignus
Annue votis.
Non opes vero pretio carentes,
Nec reflexorum radios honorum,
Aut voluptatum petimus fugaces
Ducere rivos.
Torret aestivo vehemens calore
Maius, infestis animatus Euris,
Ecce Sapphirus radians patente
Fulget ab axe.

Purior noctes recreat silentes
Siderum lusus; regit alta currus
Luna fraterni reflua decoris
Luce triumphans.
At reclinato seges aegra collo
Praecocem primo metuit senectam
Vere, cum silvis sine honore prata
Squallida pallent.
Rore, te patrem petimus benignum,
Depluas largo: nova mox redibit
Germini virtus, viridique tellus
Veste renidens
Blandulos florum calices recludet;
Mox feret gratos superis odores
Aura, nunc lento vitiosa motu,
Et gravis aestu.
Serta nectemus philyris decora,
Et piis surget crepitans ab aris
Thus datum, factis simul aequa solvet
Hostia votis.
Fallor? an coeli precibus moventur:
En! Notus nimbo gravidus propinguat,
Iamque votivo sitiens madescit
Terra liquore.
Ite, mortales pia vota divum
Saepius templis facitote; divi
Applicant aures precibus sereno
Pectore fusis.

Ode XXVI.

In adolescentem desidem.

Quis te reclinem torpor in otii,
Gustave, lecto detinet hispidus?
Quae mentis erectae fugaces
Gleba premit violenta pennas?

Primo beatum lumine Pieris
Excepit ulnis; sedula nutriit,
Multa revinctum spe, Minerva
Sollicitae vice functa matris.
Venere pulchri gloria nominis
Famaeque lauri, verticibus tuis
Pronae perennem laudis amplae
Ducere, si mereare, nimbum.
Non indecoro pulvere squallidus
Seu Martis acri miles acinace
Praecinctus, obiectes periclis
Mille caput, pretiumque vitae,
Vultumque stricto vulnere nobilem
Virtute salvis civibus offeras
Tua; camenis dedicatos
Sive agites potiore soles
Lucro: severis litibus arbiter
Vel factus alti, Socrate non minor,
Veri magister rite vibres
Magniloqui grave fulmen oris.
Messes opimas condere mens tibi est?
Nunc adlabores credere semina;
Dum cereum quondam metendis
Frugibus omne patere pectus
Sentis. Minaces qui videt Adriae
Iras quieto lumine, rexerat
Prius scapham, cautus futuri,
Littoribus placidis propinguam.
An quos recusas flexilibus puer
Annis labores, sustineas senex?
Si negligas curvare virgam,
Arboris haud rigor obsequetur.
Nec fluctuantem ludat opinio:
Bonis amicus, iudicio gravis
Non vivis, Argo qui iuventae
Difficilis fueras ephebus.
Quae cingat olim laudis adorea,
Curae sagacis nunc tibi meta sit:
Huc, huc diurnus te sequacem
Phoebus agat, vigilesque noctes.

Ode XXVII.

Ignavum corrumpunt otia corpus.

Lento tepesces otio
Spes pulchra nostri saeculi,
Et germen aetatis tuae?
Mentis nec ardor igneus,
Summi metus nec numinis
Nec vota patriae, nec patrum,
Nec stimulus almae gloriae,
Claro fugabit lumine
Tui veternum pectoris?
At stagna putredo occupat,
Exedit et vestem situs;
Largo quietis crimine
Plus, quam labore sedulo
Laxantur artus corporis.
Videsne multos squallido
Vultu, recinctos tegmine
Lacero, fame exhaustos, cute
Vix ossa sua, dentesque vix
Tectos? Legis ruere thronos
Et regna; populos nominis
Famaeque nudos desinere?
Doles, ludis licentiae
Late solutis, crimina
Alto superba vertice,
Virtute patrum atque improbo
Labore parta, perdere?
Haec monstra molli edit sinu
Mortalium pestis, malum
Crudele cunctis, otium.
Si lexque cordi est mosque cum
Virtute, fugies otium:
Cui assident nisi alea
Lege vetita, atque censuum
Vortex, et innocentium

Famae gravis inimicaque
Sermone lingua nomini;
Et omne, quod styx protulit
Letale generi hominum malum.

Ode XXVIII.

Aestas.

Aestuat Phoebus rapido calore.
Squallidae noctes tacito volatu
Contrahunt umbras; rutilatque late
Purior axis.
Fluctuant flavis bene culta spicis
Arva; spes messis dominis opimae
Laetior surgit; seges ampla iamque
Falce recumbit.
Hinc et hinc nubes gravidae serenum
Obruunt coelum, tonat et fragore
Horrido, silvae et nemus omne et antrum
Saepe remugit.
Fructibus rami sapidis laborant,
Utiles succo simul et comatis
Brachiis flammas nimium propingui
Frangere solis.
Dulce defessos recreare somno
Languidis artus trepidantis undae
Ad caput; dulce est vitreis lavari
Corpora lymphis.
Quantus aurorae nitor est quadrigis
Dum fugat coelo roseis tenebras!
Ut beat plantas opulenta grati
Lacrima roris!
Cultor innuptae, iuvenis, Minervae,
Tune tam blandos orientis audes
Lucis obtutus tepido recumbens
Perdere lecto?

Eia! te pingvi rape de quiete:
Suscita cantu citharas silentes;
Dum minus torrens furit aestus, almas
Vise camenas.

Ode XXIX.

Ad sodales.

Dum robur tacitum, dumque calor subit
Ignotus iuveni pectora cerea,
Felix, si rapidae frena licentiae
Cures sollicita stringere dextera.
Nefors, ut nivibus concita et imbribus
Vernis despiciunt flumina limites,
Per silvasque ruunt, perque domos vaga,
Horrendamque satis diluviem ferunt:
Affectus pariter caecus et impetus,
Cassus consilii, et nescius obsequi
Te Scyllae aut rigidis Acroceraunis
Figat praecipitem, ludibrium spei.
Frustra mi titulos signaque fulgida,
Frustra auro tumidos, munera lubricae
Fortunae, loculos laetus honoribus
Iactas. Cum Zephyris, quaeso, beatus es,
Instet si Boreae finitimum latus?
Torrentes radios, Phoebe, tuos nigrae
Immenso nebulae navigio premunt.
Laetis saepe cadunt verticibus rosae.
Fasces cum titulis et diademata
Tristes saepe ferunt exilii notas.
Et Petri et Caroli sceptra ruentia
Quid sperare tuis temporibus sinunt?
Cum fundis pecudes, dosque parentium
Sunt vulgi bona, sunt illepidi sales.
Felix, cui fuerit sitque patens polus
Votorum rutilans meta flagrantium.
Pactolus rubeo gurgite quae bona
Eructat, sapiens summa vocet, veto.

Exoptata diu copia, dum tenes,
Reddat si miserum. Montis ut aequore
Fallax umbra natat: subque opibus brevis
Vitae est umbra fugax gaudii, at heu! procul
Hinc sincera strepunt flumina gaudii.

Ode XXX.

In eligendo vitae statu fluctuans.

Anxia cura premit pectus: qua flectere vela
Expediat, dubito.
Vita mare est, novi, scopulis infame, et avaris
Flebile saepe vadis.
Sed tamen ad portum properandum est, naufraga puppis,
Sidera nulla videns,
Ne fors ludibrium saevis aquilonibus erret.
Praemia multa labor,
His, qui supremi devoti numinis aris
Thura sacrata litant,
Adparat, et primis iubet effulgere quadrigis;
Crux, mitra, cumque pedo
Ingentes tituli, et fortunae grandia dona
Iure placere solent.
At propriam, atque gregis fidi curare salutem,
Undique dum rapidi
Insidias tendunt furesque lupique, quis Argo
Cautior esse queat?
Hic gerit arma minax, cristisque micantibus exstat
Corde fovens patriam.
Fortis obire necem patriis pro arisque focisque,
Si modo servet ea.
Eheu! sed quoties audacis tempora circum
Plumbea mors volitat!
Alter agit causas, tumido quoque litigat ore,
Iustitiamque crepat;
Quam tamen haud metuit venalem reddere, vitae
Commoda fraude parans.

Et succos miscent multi, pretioque fugare
Spicula mortis avent.
Rura placent aliis, densisque in saltibus optant
Cominus ire feris.
Alter quaerit opes, caros linquitque penates,
Aequoraque alta petit:
Heu quales ventos, pelagi quas sustinet iras
Speque, metuque labans!
Summe pater rerum, celsi moderator Olympi
Qui pia corda vides!
Aspicis, ut tendam dupplices ad sidera palmas
Numina sancta rogans?
Eia mihi dubio multum de sorte benignam
Porrige, quaeso, manum.
Indice te noscam, quae sit tibi grata, mihique
Utilis et patriae.

Ode XXXI.

Consolatio.

„Abstulit vitae mihi spem beatae
Ister exundans; iacet in ruinis
Squallidis tectum; rapit unda siquid
Flamma reliquit.“
Sic gemit tristes iterans querelas,
Pectore ingentes refovetque motus
Turba, quae dirae miseranda sentit
Vulnera sortis.
Si nihil duri caput extimescat,
Si legas puros, sine nube soles:
Num tibi virtus statione, credis,
Fixa manebit?
Saepius nautis Zephyri favebant
Quos furens ponti tumulavit aestus:
Scilicet raro bene blandienti
Creditur aurae.

Ille terrarum domitor celebris
Optimo quamvis fuerit magistro
Usus, in rebus nimium secundis
Nonne superbit?
Largius sparso veneratur aras
Thure devotas, genibusque pronis
Invocat divos prius, insolentis
Nescius ausus.
At simul magnis tumuit triumphis
Gangis et Nili dominus, supremum
Numinum, demens nimiusque voti,
Flagrat honorem.
Vivitur parvo bene. Non opimis
Faustitas tantum laribus moratur.
Pura mens auro potiorque gemmis
Iure vocanda est.
Hanc tuis fidum comitem diebus
Iunxeris; non te favor erigentis
Efferet, frontem nec iniqua franget
Dextera sortis.
Ille regnator rutilans Olympi
Lance nos aequa librat: huic patentes
Obtulit campos; negat huic, quod ipsa
Vita requirit.
Iustus utrique est. — Bene sustinenti
Ardua exsurgit, velut et fuganti
Anxias curas, pariter beante
Lumine virtus.

Ode XXXII.

Homo felix.

Non mihi felix fuerit vocandus
Aureum cuius diadema cingit
Verticem, et latos humeros refulgens
Purpura vestit.
Non seges canis titubans aristis,
Non greges centum, latitansque caecis
Angulis aurum; et spatiosa pinguis
Iugera campi:
Grande non teli, clypeique pondus,
Nobilis non te generis propago, et
Aura felicem popularis, et nec
Gratia finget
Principum, haud dispar volucri sagittae,
Quae, simul rumor tonuit sinister,
Aemulo passim publicatus ore,
Non redit unquam.
Quid iuvat sceptrum? soliis acutae
Adsident curae: metui coacto
Odium semet socians amoris
Vincula rumpit.
Censibus census cumulas? iidem
Provocant aestum sitis acrioris,
Quam, licet totus fluat, haud fugabit
Chrysius auro.
Nec, licet circum strepitent phalanges,
Tutus et felix fueris; minaces
Si fovet pectus tacitum sub imis
Aedibus hostes.
Mox, ubi frenos vitiis relaxas,
Degener pulchris meritis avorum,
Prodigus famae venies in ora,
Cassus honore.

Ergo surgentes animi tumultus
Protinus duris cohibe lupatis;
Quod vetat lex, quod ratio repellit,
Disce cavere.
Disce, contentus modico, tumenti
Limites voto sociare prudens,
Argus in mores proprios, sereni
Cultor honesti.
Gloriae quamvis volites superbo
Essedo, vultus retine modestos;
Laude praecinctus, cave, sis tuorum
Praeco laborum.
Sit tibi curae vitiis carere;
Sit comes vitae generosa virtus:
Illa felicem, mihi crede, reddet
Illa beatum.

Ode XXXIII.

Ad Emericum SZEPESI *e scholis piis. Gratus animus.*

Attigimus portum, variorum mole laborum
Inter procellosos scholae
Fluctus detentis quem nobis nulla videndi
Ventura spes adfulserat.
Cum te Musagetem, merito quo nescio, Phoebus
Mittit, Szepesi; numinis
Instar, spe vacuis revoces qui pectora nobis,
Et fluctuanti dexteram
Tendas propitiam. Latiae, mea gaudia, musae
Nobis benigna quod manu
Olim donarant; infandum quodque maligni
Effugerat furis scelus,
Isthinc perque manus hominum per et ora volabit,
Pectus quibus romana non

Gratia cessavit mulcere et ducere sensa.
Tu, tu latini, non minus
Eloquii cultor graii, doctusque magister,
Tot undique arctatus dies
Et noctes studiis, languentes erigis annos
Nostros, levas, et dividis,
Quas mea sustineant iam vix bene pectora, curas;
Vocem chely et vitam meae
Inspirans monitis, precibus, socioque labore.
Camena nostra quas tibi
Persolvat grates? — quod sit niteatque recente
Vestita cultu, quod queat
Dicere se obstrictam tibi, sunto pignoris instar:
Opus velut plene tuum.

INDEX.

ELEGIARUM L. I.

Elegia.			*Pagina.*
1.	Ad	*Franciscum I. imperatorem (pl. t.)	3.
2.	„	Natalem sexagesimam eiusdem	6.
3.	„	*Ferdinandum V. regem Hung.	8.
4.	„	*Pios manes Francisci I. etc.	12.
5.	„	*Franciscum Iosephum imper. discrimini ereptum	22.
6.	„	*Iosephum archiducem palatinum	24.
7.	„	In praematurum obitum eiusdem filii Alexandri	26.

ELEGIARUM L. II.

Eleg.			
1.	Ad	*Petrum Klobusiczky archiepiscopum colocensem	31.
2.	„	*Antonium Juranics	33.
3.	„	*Francsiscum Laicsák	36.
4.	„	*Petrum Klobusiczky etc.	39.
5.	„	*Ignatium e. L. B. Szepessy	41.
6.	„	*Petrum Klobusiczky	44.
7.	„	*Paulum Szutsits	45.
8.	„	*Alexandrum Ałagovich	48.
9.	„	*Pios manes Alexandri Rudnay	52.
10.	„	*Ioannem Horváth	54.
11.	„	*Petrum Klobusiczky	57.
12.	„	*Franciscum Szaniszló	60.
13.	„	*Emericum Farkas	63.
14.	„	Michaelem Fogarassy	66.
15.	„	*Iosephum Orgler	67.
16.	„	Stephanum Csausz	70
17.	„	Eundem	72.
18.	„	Petrum Klobusiczky	73.

*) notat carmen iam alias typo vulgatum.

ELEGIARUM L. III.

Elegia.			*Pagina.*
1.	Ad	*Casparum Zelneky e scholis piis	77.
2.	„	*Bernardum Benyák	79.
3.	„	Georgium Gruber	81.
4.	„	*Martinum Bolla	83.
5.	„	Petrum Nagy	87.
6.	„	*Martinum Bolla	89.
7.	„	*Antonium Dienes	91.
8.	„	*Martinum Bolla	94.
9.	„	*Eundem	95.
10.	„	*Ioannem Bapt. Grosser	97.
11.	„	*Alexandrum Koppy	99.
12.	„	*Ioannem Bapt. Grosser	101.
13.	„	*Hieronymum Pintér	103.
14.	„	*Ioan. Bapt. Grosser	106.

ELEGIARUM L. IV.

Elegia.			
1.	Ad	Martinum Bolla	109.
2.	„	Beatam Virginem Mariam	111.
3.	Laudes Tibisci		112.
4.	Monita vernalia		114.
5.	Funestum Colocae incendium		116.
6.	Monita autumnalia		118.
7.	Ad Ladislaum Szentkirályi		119.
8.	Memoria Thomae Nádasdy		122.
9.	In humidas ferias autumnales		124.
10.	Contra obtrectatores poeseos		126.
11.	Nonnulla vitae socialis praecepta		128.
12.	Animus ingenuis artibus excolendus		130.
13.	Filius ante funestum patris tumulum		132.
14.	Pestinum queritur contra exundantem Danubium		136.
15.	Metaphrasis L. II. od. 16. Horatii		139.
16.	„	L. III. od. 1.	140.
17.	„	L. III. od. 24.	141.
18.	Disticha moralia		143.
19.	Ad Georgium Bajzáth		tardius inserta.

HEROICORUM LIBRI.

Carm.		*Pagina.*
1.	*Adplausus cels. principi Paulo Eszterházy	147.
2.	Ad *Georgium Girk etc.	149.
3.	„ *Ioan. Bapt. Grosser	152.
4.	„ *Glycerium Spányik	154.
5.	„ *Ioan. Bapt. Grosser	158.
6.	„ Franciscum Sal. Jaeger	160.
7.	„ *Ioannem Bapt. Grosser	162.
8.	Memoria anni 1831.	164.
9.	S. Iosephus Calas. pius in Deum	169.
10.	Paraphrasis L. III. od. 6. Horatii	172.
11.	Nihil est ab omni parte beatum	173.
12.	Caius amat patriam	175.
13.	Aemulatio acuit industriam	177.
14.	Paraphrasis L. II. od 10. Horatii	182.
15.	Sperne voluptates etc.	183.
16.	Paraphrasis L. III. od. 2. Hor.	186.
17.	Honora patrem et matrem etc.	188.
18.	Lingua latina queritur se negligi	191.
19.	Paraphrasis L. III. od. 5. Horatii	196.
20.	Monita patris ad filium etc.	198.
21.	Paraphrasis L. III. od. 29. Horatii	204.
22.	Alexis in eligendo statu fluctuans	206.

LYRICORUM LIBRI.

Ode.		
1.	Transitus ad lyrica scribenda	215.
2.	Poesis	215.
3.	Lyra	217.
3.	Virtus	218.
5.	Laus Caroli archiducis	220.
6.	*Ad Nicolaum Sztankovics e scholis piis	221.
7.	*In memoriam bissaecul. Universitatis pestiensis	222.
8.	Hymnus ad D. Ferdinandum	225.
9.	*Soterion sereniss. Iosepho palatino etc.	226.
10.	Ad Stephanum archiducem	228.
11.	Ad Emericum Palugyai episcopum	230.
12.	*Anno saeculari sch. piarum Ovarini	232.
13.	*Anno saeculari sch. piarum Cibinii	234.

Ode.		*Pagina.*
14.	Ad Ignatium Krizsány canonicum	237.
15.	Ad Ioannem Szilassy canonicum	239.
16.	Tempestas maialis 1830.	240.
17.	Zrinyi ad Szigethvár	241.
18.	Ad Georgium Fejér praepos. canonicum etc.	243.
19.	Veris amoenitas stimulet ad laborem	243.
20.	De malis sociis fugiendis	245.
21.	Iuvenis adsuesce labori	246.
22.	Iniurias ferendo vince	247
23.	Ad rosam	248.
24.	Fabula. Danubius et rivulus	349.
25.	Hymnus pro pluvia 1840.	249.
25.	In adolescentem desidem	250.
26.	Ignavum corrumpunt otia corpus	252.
28.	Aestas	253.
29.	Ad sodales	254.
30.	De eligendo vitae statu sollicitus	255.
31.	Consolatio	256.
32.	Homo felix	258.
33.	Ad Emericum Szepesi e scholis piis	259.

Pagina	*versu*	*errata*	*sic corrige:*
27.	20.	monere	manere.
31.	7.	his	hic
43.	16.	fragantis	fragrantis.
52.	22.	serte	serta.
60.	13.	Haec alios	Haec alios,
64.	30.	rediis	radiis.
66.	in titulo	a Steph.	a S. Steph.
141.	31.	namquo	namque.
144.	28.	Que	Quae.
149.	1.	vintutum	virtutum.
149.	18.	*deest*	iam.
157.	12.	anfructus	anfractus.
175.	21.	Consul	Consus.
210.	12.	merita	meritae.

)) 46

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

MLj 9.1.30
Poematum libri sex.
Widener Library
005766775
3 2044 088 821 152